נב

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

CANTICO ZACHARIÆ

Luc. I. vers. 67. fin.

Paraphrastic è cum Annotationibus exposito:

Quam,

Auspice DEO,

sub

PRÆSIDIO,

DN. SEBASTIANI SCHMIDT,

S. Theol. Doct. Profess. Sen. & Convent.
Ecclesiastici Præsidis,

defendendam suscepit

M. ABRAHAMUS CALOVIUS,

Wittebergensis Saxo.

Ad d. Mens. Anni M DC XXCIV.

ARGENTORATI,

LITERIS JOH. FRIDERICI SPOOR.

Coll. diss. A
106, 7

a. CVI. 7.

Sächs.
Landes-
Bibl.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn325355568/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

DISSERTATIO THEOLOGICA
De
CANTICO ZACHARIÆ,
Luc. I. v. 67. seqq.

PROOEMIUM.

Anticum Zachariæ, patris Johannis Baptistæ, præcursoris Jesu Christi, Domini nostri, quod vocare solent, & ille solutâ iterum post natum filium linguâ in Spiritu Sancto elocutus est, brevi meditatione Academicâ, cum bono DEO, consideraturi sumus. Elegit sibi hanc materiam Præcellens Dn. Respondens, & tractationem ejus defendendam solenniter in se suscepit; specimen editurus, se studium suum non alijs Theologiæ tantùm partibus, sed interpretationi quoq; & scrutamini Scripturæ consecrasse. Agit autem hoc Zachariæ Canticum, quemadmodum ex verbis ejus satis clarum est, partim de Christo Salvatore, Filio DEI, jam in utero Virginis Matris concepto & gestato; partim verò de Johanne Baptistâ, puero recens nato, ejusque, quod tanquam præcursor Christi gesturus erat, officio. Ita verò nostram

meditationem instituemus, ut ponamus. 1. ipsum Scripturæ apud Evangelistam textum. 2. Textus brevem addamus Paraphrasin. Quam 3. subjungendæ Annotationes amplius illustrabunt. Dirigat propositum conatumq; nostrum per Spiritus sui Sancti gratiam lumenq; DEUS Pater luminum propter Jesum Christum, Dominum nostrum, Amen.

I. Textus Evangelistæ Lucæ,
Cap. I.

Vers. 67. Καὶ Ζαχαρίας ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου, καὶ προεφήτευσε, λέγων,

Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu Sancto, & prophetavit, dicens:

Vers. 68. Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραήλ, ὅτι ἐπεσκέψατο καὶ ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ.

Benedictus Dominus DEUS Israël, quia visitavit & fecit liberationem populo suo.

Vers. 69. Καὶ ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν ἐν τῷ οἴκῳ Δαβὶδ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ,

Et erexit cornu salutis nobis in domo Davidis pueri sui,

Vers. 70. Καθὼς ἐλάλησε διὰ στόματος τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνος προφητῶν αὐτοῦ,

Quemadmodum locutus est per os Sanctorum à seculo prophetarum suorum,

Vers. 71. Σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν, καὶ ἐκ χειρὸς πάντων τῶν μισούντων ἡμᾶς.

Salutem ex inimicis nostris, & ex manu omnium odio habentium nos.

Vers. 72. Ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων ἡμῶν, καὶ μνησθῆναι διαθήκης ἁγίας αὐτοῦ.

Facere misericordiam cum patribus nostris, & recordari fœderis sancti sui;

Vers. 73.

Vers. 73. Ὅρκον ὃν ὤμοσε πρὸς Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν, τοῦ δοῦναι ἡμῖν.

Jusjurandum, quod juravit Abraham Patri nostro, ad dandum nobis;

Vers. 74. Ἀφόβως, ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας, λατρεύειν αὐτῷ,

Intrepidè, ex manu hostium nostrorum liberatos, servire ipsi,

Vers. 75. Ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ ἐνώπιον αὐτοῦ, πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν.

In sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ.

Vers. 76. Καὶ σὺ παιδίον, προφήτης Ὑψίστου κληθήσῃ· προπορεύσῃ γὰρ πρὸ προσώπου Κυρίου, ἑτοιμάσαι ὁδοὺς αὐτοῦ,

Et tu Puer, propheta Altissimi vocaberis, Præibis enim ante faciem Domini, præparare vias ejus,

Vers. 77. Τοῦ δοῦναι γνῶσιν σωτηρίας τῷ λαῷ αὐτοῦ, ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν αὐτῶν·

Ad dandum cognitionem salutis populo ejus, in remissione peccatorum ipsorum,

Vers. 78. Διὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν, ἐν οἷς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους·

Per Viscera misericordiæ DEI nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto;

Vers. 79. Ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις, τοῦ κατευθῦναι τοὺς πόδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης.

Illucescere in tenebris & umbra mortis sedentibus, dirigendi causa pedes nostros in viam pacis.

II. Textus Paraphrasis.

(vers. 67.) *Cæterum ejus, scilicet Johannis Baptistæ, Pater Zacharias, qui modo, mutus prius, silentio rupto loqui ceperat, repletus Spiritu Sancto est, cujus instinctu & verbo prophetavit de rebus partim præsentibus, sed adhuc occultis, partim de futuris maximi momenti, dicens:*

(vers. 68.) *Benedictus Dominus Jehovah, Deus Israëlis est eritque, qui quemadmodum mihi semper benedictus est, & ab æterno fuit, atq; in æternum mansurus est: cujus ideo benedicta in se & perfectissima omnibus idiomatis & excellentijs natura semper à nobis agnoscenda & deprædicanda atque adoranda: ita nova causa adest, propter quam eum ego jam benedictum agnosco, deprædico, & adoro humillime, idemq; mecum omnes homines facere debent. Quandoquidem visitavit clementissimè summum operatus beneficium populo inprimis suo Israël, egressurum vero ex hoc ad omnes gentes & homines; dum fecit liberationem tum isti primò, deinde etiam his, eam, quâ per Messiæ satisfactionem pro omnibus sufficientissimam redimentur soluto pro ijs Deo pretio omnium debitorum, quibus ipsi per peccata obstricti sunt, ut filij DEI fiant, & vitam æternam pro hereditate accipiant.*

(vers. 69.) *Et suscitavit nobis eum, qui est cornu & robur altissimum potentissimumque, quod est ipsa salus & autor salutis æternæ merito & virtute ipsius dandæ, hoc est, Meßiam nascendum & in utero jam conceptum, in domo Davidis servi ejus dilectissimi, & virgine ex familia ejus progenita.*

(vers. 70.) *Quemadmodum hoc omne locutus est & promisit per os & verba Virorum Sanctorum suorum, qui à seculo seu initio mundi fuerunt, per quos de eo prophetavit venturo, & qui ipsi se ejusmodi vaticinijs consolati sunt inter afflictiones & molestias pravi mundi, quas tolerare coacti fuerunt.*

(vers. 71.) *Visitavit, inquam, & erexit juxta ipsos nobis & toti mundo salutem, vel quod idem, Salvatorem seu liberatorem ab inimicis nostris Spiritualibus, qui nos magis premunt, & pejores sunt omnibus alijs, quæ in hoc mundo patimur, malis, & è manu omnium, qui oderunt nos, & gratiam DEI atq; salutem nostram æternam nobis invident, eamque nos accusando nobisq; omnibus modis nocendo impediunt.*

(vers. 72.) *Insuper, ut faceret misericordiam cum patribus nostris, ita ut misericordiam ipsis promissam Jizchako, Jacobo, & ijs, qui hos secuti pij sunt, impleret per semen eorum, in quo omnes gentes benedicendæ, recordaretur q; fœderis sui Sancti signo sacramenti circumcisionis confirmati, in cujus & fide quia mortui sunt, eô magis implendum est.*

(vers. 73.)

(verſ. 73.) *Inprimis autem illius juramenti, quod juravit erga Abrahamum Patrem noſtrum, dicens: Niſi benedicens benedixero tibi, & multiplicans multiplicavero te, &c. usq; dum etiam ſemen tuum naſcetur, in quo omnibus gentibus benedicturus ſum: quo ipſo juramento, ſicut & promiſſionibus & fœdere promiſit, daturum ſe nobis per ſemen Abrahæ,*

(verſ. 74.) *Ut ſanguine ſeminis hujus Abrahæ DEO Patri reconciliati & in filios ejus adoptati, ac virtute potenti ipſius è poteſtate hoſtium erepti, contraque inſultus & tentationes eorum defenſi, ſerviamus ipſi nobis pacato ſine timore iræ aut judicij ipſius, tranquillâ conſcientiâ, tanquam filij, non autem ſervi.*

(verſ. 75.) *In Sanctitate nimirum & juſtitiâ fidei in JESUM Chriſtum: quæ eſt ipſa juſtitia Chriſti ſatisfactoris noſtri, per fidem nobis imputata, quæ ſola pro nobis coram ipſo valet, & nos ipſi gratos & filios reddit, ac cultum noſtrum ipſi placentem facit; idque faciamus omnibus diebus vitæ noſtræ in hoc mundo, donec nos per beatam mortem in vitam cœleſtem & æternam transferat.*

(verſ. 76.) *Et tu quidem puer, mi Johannes, propheta Altiſſimi, Meſſiæ, qui DEUS altiſſimus eſt, vocabens jure, tanquam qui revera eris: præibis enim ante faciem Domini Meſſiæ, & de adventu ejus mox futuro & per prædicationem Evangelij manifeſtando prædices, donec ipſe veniat, ſicut in utero matris tuæ exultando prædixiſti de eo:*

(verſ. 77.) *Et ita quidem atque eum in finem prophetabis & prædicabis de Meſſia, ut des cognitionem fidei de ſalute Meſſiæ, ipſoque Meſſiâ poſt Te venturo, populo ejus in Judæâ, cum remiſſione peccatorum eorum per cognitionem iſtam fidei dandam hominibus, quotquot crediderint concioni Tuæ.*

(verſ. 78.) *Quæ remiſſio peccatorum proficiſcitur ex miſericordiâ DEI Patris immensâ, in qua miſſus in mundum viſitavit nos ortus ex alto, hoc eſt, Meſſias, Filius DEI, qui eſt lux & Sol ab æterno à DEO Patre genitus, & in tempore jam in carnem miſſus:*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn325355568/7 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

(vers. 79.) *Ut mox miseris hominibus, qui in tenebris & umbra mortis spiritualis per cœcitatem mentis & peccata sedent, appareat ad dirigendos pedes mentis nostræ in viam pacis inter DEUM & nos per ipsum Messiam, hic incipiendæ, & in cælo æternum continuandæ.*

III. Annotationes *Ad* Textum & Paraphrasin.

§. 1. vers. 67.

Καὶ, *Et*] Conjunctio copulativa καὶ, *Et*, quæ hoc loco posita est, procul dubio eò minùs abundat vel otiosa est, quòd res ipsa h.e. Canticum Zachariæ, ad præcedentem adhuc historiam pertinet. Sed cohærentiæ aliquã difficultatem parere videri potest, quòd inter consequentia circumcisionis & appellationis filioli Zachariæ, Johannis, jam v. 64. quid Zachariæ factum, & quid ipse fecerit, præmissum est, cùm dictum; *Apertum est autem os ejus illicò, & lingua ejus: & loquebatur benedicens DEO.* Quibus verbis si statim subjunctum fuisset; *Et impletus est Spiritu Sancto &c.* nexus haud fuisset difficilis. Jam interpositus est satis longus versus 65. *Et pervasit timor omnes vicinos eorum: & per omnem montanam regionem Judææ divulgabantur omnia verba hæc.* Et vers. 66. *Et posuerunt omnes, qui audierant, in corde suo, dicentes: Quidnam puer hic erit? Et manus Domini erat cum illo.* Post quos versus demum sequitur; *Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu Sancto, prophetavitque &c.* Ordinem temporis observari, non potest dici. Quis namque crediderit, Zachariam tum demum fuisse repletum Spiritu Sancto, postquam per omnem montanam regionem Judææ divulgata sunt omnia verba hæc? Jam porrò verba; *Et manus Domini erat cum illo*, procul dubio in longius se extendunt tempus, quàm quod inter Canticum Zachariæ intervenit. Si versus duos, 65. & 66. parenthesi includere velimus, sicut in Scriptura parentheses non inusitatæ sunt: verba ante & post parenthesin ita cohærebunt; *Apertum autem est os ejus illicò,*

illicò, & lingua ejus; & loquebatur benedicens DEO: & Zacharias pater ejus repletus est Spiritu Sancto &c. Quam cohærentiam impedit, qnod de novo versſ. 67. ponitur, *Zacharias pater ejus:* licet res benè connecterentur. Quem rerum nexum *B. Chemnitius* harm. h. l. ita exponit; *Lucas dicit, Zachariam non tantùm linguæ usum recepisse, nec simpliciter ita tantùm ad laudes DEI lingua sua usum, sicut & anteà Sacerdos in templo fecerat: sed repletum Spiritu Sancto prophetasse &c.* Sed quantum ad verborum & styli cohærentiam: recordamur, quod nonnunquam in Scriptura Copula καὶ, *Et*, æquipolleat particulæ, *Inprimis, præcipuè*; ita ut distinctè exprimat, quod præstantius & certâ de causa notatu dignum: cujus usus exempla apud Interpretes occurrunt. Hîc itaq; apud Evangelistã Lucam ponuntur Circumcisionis Johannis & impositionis nominis Consequentia; quod apertum sit os & lingua Zachariæ; quod propterea locutus sit benedicens DEO pro restitutione maximè: quod timor omnes vicinos pervaserit: quod omnia per totam montanam regionem divulgata sint: quod, qui audiverant, in corde suo posuerint, & solicitè de negotio collocuti sint: quod manus Domini cum puero deinceps fuerit. Quæ omnia sanè maximi fuerunt momenti: sed omnium tamen maximum & longè præstantissimum fuit, quod Zacharias Spiritu Sancto repletus elocutus est, Canticum, divinum, propheticum. Poterit itaque Copula καὶ, reddi per, *Inprimis, inprimis verò; Inprimis verò Zacharias, pater ejus, repletus est Spiritu Sancto &c.* q. d. Magna fuerunt, quæ modò dicta sunt, consequentia: omnium tamen maximum & notatu dignissimum hoc est, quod Zacharias, pater ejus, Spiritu Sancto repletus est, prophetavitque. Hæc nobis cohærentia satis videtur commoda: si quidem non displicuerit eruditis. Intereà in Paraphrasi posuimus, *Cæterùm:* quod eodem manente nexu & sensu satisfacere etiam potest.

§. 2. versſ. eod. Ζαχαρίας ὁ πατὴρ αὐτοῦ, *Zacharias pater ejus*] Zachariæ, tanquam Patris Johannis, jam suprà facta mentio est versſ. 62. Sed quia alia, quæ ad Zachariam ipsum non pertinent, interposita sunt: ideò nunc ad eundem redeundum fuit, ut nomen ipsius denuò repeteretur. De nomine, persona, familia, officio Zachariæ hîc multa dicere non attinet; neq; enim prolixum hîc commentarium molimur.

§. 3.

§. 3. vers. eod. ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου, *repletus est Spiritu Sancto*] Phrasis hæc, *Implere, impleri Spiritu Sancto* in Nov. Test. quàm in Veteri usitatior est. In Veteri occurrit Exod. XXXV. vers. 31. *Implevitque* (Deus) *eum* (Bezaleelem) *Spiritu DEI, quoad sapientiam, & quoad intelligentiam, & quoad scientiam, & quoad omne opus.* In Novo, noster Evangelista Lucas amat phrasin. *Et Spiritu Sancto implebitur.* Cap. I. v. 15. *Et impleta est Spiritu Sancto Elisabetha.* v. 41. *Et impleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Act. II. v. 4. *Petrus repletus Spiritu Sancto.* Cap. IV. v. 8. *Et impleti sunt omnes Spiritu Sancto.* v. 31. *Et impleberis Spiritu Sancto.* Cap. IX. vers. 17. *Repletus Spiritu Sancto.* Cap. XIII. v. 9. Aliàs in Hebræâ Veteris Testamenti phrasi dicitur, *Adesse super aliquem Spiritus, Induere aliquem Spiritus.* Quâ utraque qhrasi etiam Lucas usus est. Priori Luc. II. vers. 25. ubi de Simeone dicit; *Et Spiritus Sanctus adfuit super eum.* Posteriori Cap. XXIV. v. 49. ubi Christus ad discipulos; *Vos autem sedete in civitate Hierusalem, quoad usq; induamini virtute ex alto.* Phrasis, *Impleri Spiritu Sancto*, non immeritò confertur cum eâ, quâ gloria Dei locum aliquem, inprimis templum suum impleviſſe dicitur. Quemadmodum enim hîc Impletio singularis gratiosæ præsentiæ significatur: ita quando homo Spiritu Sancto impleri dicitur, singularis divinæ gratiæ & operationis superventio denotatur. *Singularis*, inquam, *divinæ gratiæ & operationis superventio.* Quemadmodum namque reverà Spiritus DEI, qui immensus est, omnia in cœlo & in terrâ implet loca; sed impleviſſe Templum DEI dicitur, quod singulari gratiæ præsentia ibi fuit: ita Spiritus idem DEI in omnibus fidelibus Christi præsens est, & in ijs habitat; sed implere aliquem dicitur, quando ampliorem & singularem, non omnibus communem, gratiam illi confert. Hanc phrasin videntur nonnulli existimare, durationem divinæ gratiæ & doni denotare: cujusmodi de Zacharia etiam statuunt. Ita namq; *Dn. D. Chemnitius* h. l. *Et non*, inquit, *dubium sanè est, Zachariam in solenni illo actu circumcisionis, illam quasi concionem publicè habuisse: non tamen existimo, ad unicam illam horam, quâ circumcisus fuit Johannes, illud restringendum, quasi posteà de hisce rebus nihil locutus sit, vel docuerit Zacharias.* Et mox; *Quia ergò Zacharias Sacerdos erat, cujus ministerium erat docere, post nativitatem Johannis non de traditionibus, vel de*

cultu

cultu Levitico docuit: ſed repletus Spiritu Sancto cœpit in illis locis, ubi habitabat, prophetare, hoc eſt, non tantùm de futuris rebus vaticinari; ſed prophetias anteà patefactas ſpiritualiter, & ita explicare, ut oſtenderet, jam cœpiſſe impleri. Deſtituta autem fuerat gens Judaica dono Prophetiæ annis plus 400, ultimus enim propheta fuit Malachias. Domino igitur ipſo jam in utero Mariæ concepto, & propheta præcurſore ejus in lucem edito, Zachariæ per Spiritum Sanctum datur donum prophetiæ, ut doctrina ſuâ publicè teſtetur, inſtare finem Veteris Teſtamenti, Meſſiam promiſſum veniſſe in carnem, factum germen Davidis, prophetam Altiſſimi, præcurſorem Meſſiæ, jam eſſe notum, & mox fore initium Novi Teſtamenti. Hactenus *D. Chemnitius.* Utique, quando Exod. XXXV. v. 31. de Bezaleele dicitur, quod DEUS eum impleverit Spiritu DEI, non dubium eſſe poterit, quin durabile Spiritus Sancti donum illi collatum fuerit, ſaltem donec totum tabernaculũ confectum eſt. Intereà quod ipſa phraſis durationem doni, vel donum durabile importet, non videntur urgere, quæ ex *D. Chemnitio* allegavimus. De actu tamen res certa eſt, ex ipſis verbis; *repletus eſt Spiritu Sancto, & prophetavit, dicens* q. d. repletus eſt Spiritu Sancto ita, ut prophetaret dicens &c. nimirum, ad dicendum hanc prophetiam repletus eſt Spiritu Sancto. Inſequentibus quidem temporibus quemadmodum nec prophetiæ hujus ſuæ immemor fuit, nec alia, quæ ad nativitatem filioli Joannis ſpectabant, oblitus eſt: ita dubium non eſt, quin pius Sacerdos quavis occaſione alijs in memoriam revocaverit, & expoſuerit; licet diſcrimen inter ipſum & Johannem, Chriſti præcurſorem, de quo ipſe prophetavit, conſtituendum ſit.

§. 4. verſ. eod. καὶ προεφήτευσε, *Et prophetavit.*] Quid ſibi hîc velit vox προφητεύειν, *Prophetare*, ſoliciti ſunt Interpretes. *D. Chemnitius* noſter hæc habet; *Vocatur autem prophetia. 1. quia more Prophetarum, ſub forma Præteriti, futura prædicit de officio Meſſiæ & Johannis. 2. quia oracula Prophetarum de liberatione ab inimicis, & de ſalute per Meſſiam, oſtendit ſpiritualiter eſſe intelligenda. 3. quia oſtendit, impletionem prophetiarum Veteris Teſtamenti jam inchoatam eſſe, in conceptione Meſſiæ, & nativitate Præcurſoris. Ita enim Verbum Prophetare accipitur. 1. Corinth. 14. v. 3.* Hæc D. *Chemnitius.* Credideris hinc ſua ſumſiſſe *Janſenium*, quæ Conc. Evang. Cap. V. in h.l. ſcribit: *Prophetavit autem, tum quia*

futura

futura (idque aliquando sub verbis præteriti temporis, prophetarum more) prædixit, prius quidem de Messia, deinde verò de Joanne; tum quia præcedentium oracula Prophetarum prædicta de felicitate ac salute per Messiam Israëli obventura, jamjam adimplenda canit, spiritu prophetico intelligens & explicans hujusmodi prophetarum vaticinia spiritualiter esse accipienda de salute vera, quæ in peccatorum consistit remissione. *Maldonatus* autem Jesuita in h. l. annotat: *Prophetasse dicit, non quod quidquid in hoc cantico dicit, prophetia sit: multa enim dicuntur, quæ ad laudes potius DEI, quam ad prophetiam pertinent, ut illud ipsum exordium, Benedictus Dominus DEUS Israel. Quanquam illæ ipsæ laudes ex eodem prophetico spiritu profectæ sunt, & suo quodam modo, dum prophetiam ornant, ad illam pertinent. Sic totum Canticum prophetia dici potest.* Haud obscurum esse videtur, quod difficultas Interpretibus nascatur ex Græcâ voce, προεφήτευσε; quæ ex origine suâ, πρόφημι, significat prædicere; priùs dicere, quàm res fiat, quod futura & ventura sit. Quid verò? si dicamus, Hebræis, qui non uno nomine Prophetas appellant, prophetam eum esse, qui occulta per Spiritum Sanctum revelat hominibus priùs, quàm hi quicquam de ijs cognoverunt, vel ipsæ etiã res in se manifestatæ sunt? Ita e.g. Samuel prophetavit, quando Sauli revelavit, quod asinæ patris ejus, quas solicitè quærebat, inventæ jam essent. Hoc namq; juxta naturam nec Sauli nec Samueli notum esse potuit, sed planè occultũ ijs fuit: revelatum autem est Samueli à Spiritu Sancto, & per Samuelem Sauli. Ita etiam qui verbum DEI in Spiritu S. profert, priùs non revelatũ, vel hoc, quo nunc fit, modo non manifestatum, verus Propheta est. Quod si futura revelat, hactenus verus propheta est, si nõ potuerunt, nisi ex divinâ revelatione cognosci, vel quatenus ex divina revelatione cognoscuntur, omni autem naturæ occulta sunt. Quis enim Astronomum, qui ex naturalibus principijs Eclipsin revelat ijs, qui eam ignorant, prophetam verum dixerit? Quia autem hominibus futurorũ prædictio præ alijs prophetiæ partibus mirabilis habetur; ideò ab hac potiori parte divina revelatio prophetia dicta est. Interea prophetia Hebræis est divina revelatio sive de præteritâ, sive de præsenti, sive de futura re occulta & incognita. Atq; sic Zacharias etiam noster in Cantico prophetavit, quando de conceptione Filij DEI in utero Mariæ locutus est. Etsi namque conceptio

ceptio hæc jam facta erat; occulta tamen adhuc fuit hominibus, nec adhuc mundo manifestata: quippe quæ manifestatio in nativitate, quâ Deus manifestatus est in carne, facta est. Est & hoc observandum, quod prophetiæ non eodem dicendi genere editæ sunt. Nonnunquam factas esse stylo poëtico Psalmi satis testantur: qui stylus Canticis uti solet, & benedictionibus, laudibus, varijsque alijs ornamentis gaudet: quæ propterea non obstant, quò minùs prophetiarum nomen mereantur. Intelligere hinc etiam licebit, quare in primitivâ Novi Testamenti Ecclesia Interpretes Scripturarum, propheticarum inprimis, Prophetæ appellati sint. Quia nimirum in Spiritu Sancto ea ipsis de Scripturis sacris revelata sunt per certa & infallibilia verba, quæ tali modo extra divinam revelationem sciri aut cognosci non potuerunt. Quod significat Apostolus 1. Cor. XIV. v. 29. 30. *Prophetæ verò duo vel tres loquantur, & cæteri dijudicent: si verò alij revelatum fuit assidenti, prior taceat.*

§. 5. vers. 68. Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραήλ, *Benedictus Dominus Deus Israëlis*] Vocem εὐλογητὸς, non uno modo vertunt, *laudandus, benedicendus, benedictus, sit, esto, est:* ut in versionibus inprimis videre est. Et vocem respondere Græcam Hebrææ, ברוך *Benedictus*, quæ in Vet. Test. frequens est, communiter observant. *Grotio* etiam stat pro optativo, εὐλογηθείη, *benedicatur. Formula*, scribit *D. Chemnitius*, *est gratiarum actionis & laudationis, & significat, vel, dignus est laude, vel, celebretur & prædicetur Dominus.* Ex quo *Maldonatus* Jesuita aliquid saltem videtur sumsisse, cùm in h. l. commentatus est: *Benedictus Dominus: benedicatur, aut laudetur Dominus. Vel, dignus est Dominus, ut benedicatur atque laudetur. Hoc enim est Hebraicè* ברוך, *ut, Benedictus, qui venit in nomine Domini Matth.* 23. 39. *& Marc.* 11. 9. Sic ille. *Jansenius* hæc habet; *Pro, Benedictus, Græcis est,* εὐλογητὸς, *quod propriè est laudandus, vel benedicendus. Unde nostra litera sic accipi debet: Benedictus est Dominus, vel, benedictus, id est, laudatus esse debet Dominus &c.* Rectè confertur cum Hebræo, ברוך *Baruch*, Græcum, εὐλογητὸς. Sed observandum est, quod Hebræum istud dupliciter usurpetur: *nominaliter* & *participialiter. Participialiter* usurpatum est passivum, notatque eum, qui ab alio benedictionem accipit, vel, cui ab alio benedicitur. Ita homines

appellantur ברוכי יהוה vel ברוכים ליהוה *Benedicti Domini*, vel *Benedicti à Domino*, tanquam à quo benedictionem accipiunt, eaque ditantur ac beantur. *Nominaliter* verò denotat eum, qui benedictionem habet & possidet; qui in se benedictus ipso & beatus est, & suis benedictionibus alios benedictos ac beatos reddit. Deus est ברוך, Εὐλογητὸς, *Benedictus*, non *participialiter* (absit per omnem modum!) sed *nominaliter*, quod in seipso & per seipsum benedictionem omnem habeat & possideat, & ex thesauro benedictionum suarum creaturis benedicat. Huc pertinet illud; *quis prior dedit ei, & reddetur ipsi? quoniam ex illo, & per illum, & in illum omnia.* Rom. XI. vers. 35. 36. Et alterum; Εὐλογητὸς, *Benedictus DEUS, & Pater Domini nostri Jesu Christi,* ὁ εὐλογήσας ἡμᾶς, *qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in supracœlestibus Christo.* ברכה, Εὐλογία, *Benedictio* autem est bonum seu beatitudo aliqua. Unde benedictus est idem ac, beatus. Usurpatur autem, ut apud Hebræos fieri solet, Positivus pro superlativo: *Benedictus*, h. e. *benedictissimus, beatissimus.* Quando itaque Εὐλογητὸς, *Benedictus* dicitur Deus, planum est, quod nihil benedictionis aut beatitudinis ipsi vel demus, vel aliunde ipsi accessisse prædicemus; sed quod benedictissimum & beatissimum, eumque esse, qui nobis benedicat, & nos beatificet, agnoscamus humili erga ipsum reverentiâ, gratitudine atque adoratione, novo vel singulari beneficio ab ipso mactati, ita ut alios nobiscum ad eundem cultum adhortemur & invitemus. Atque sic Zacharias hoc loco dicere vult; *Dicite mecum, ô pij; adoramus te humili reverentia, & gratias tibi agimus, ô Domine, Deus Israëlis, tanquam ei, qui non tantùm pro in seipso beatitissimo agnoscendus & deprædicandus es, sed etiam nobis hominibus benedicis, & beatos nos beneficijs tuis reddis; sicut nunc etiã feciſti, dũ visitasti &c.* Vocatur præterea κύριος, יהוה, *Dominus, Deus Israelis: quia*, inquit *D. Chemn. peculiariter huic populo, dato certo verbo, essentiam & voluntatem suã patefecerat, & promissiones de Messia apud hunc populum deposuerat; hunc populũ peculiari fœdere sibi adjunxerat, & ex hoc populo carnẽ assumturus erat Messias.* Similia alij habent Interpretes. Est hoc Epitheton aliàs in Veteri Testamento frequens: & verum Deum à falsis gentilium dijs distinguit; adeò ut Philistæi deastrum suum Dagonem, à Jehovah, Deo vero, ita discriminaverint, ut hunc *Deum Israelis* voca-

vocaverint. 1. Sam. V. v. 7. 8. 10. ſqq. Quod diſcrimen hîc etiam locum ſuum habet quidem, ſed præcipuè tamen, quatenus promiſſiones patribus, Davidi & toti populo Iſraëlitico de Meſſia neſcituro factas, reſpicit: ſicut dicitur, *quia viſitavit & fecit redemtionem populo ſuo &c.* ἰσραὴλ, *Iſrael* itaque, non ſolum Patriarcham Jacobum, ſed totum populum Iſraëliticum denotat.

§. 6. verſ. eod. ὅτι ἐπεσκέψαλο ϰ̀ ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτῦ, *Quia viſitavit & fecit liberationem populo ſuo.*] Eſt hîc obſervandum, quod vox λαῦ, *populi*, ſemel poſita ſit, ſed ad integrandam conſtructionem bis poni debeat h.m. *quia viſitavit populum ſuum, & liberationem fecit* eidem populo ſuo. Neq; enim placet, quod quidam abſolutè ſumunt. Conf. Syrus. Cumque Verbum ἐπισκέπλειν, ἐπισκέπλεσθαι, *viſitare*, ambiguum ſit, & in bonam modò de gratia & beneficijs, modò in malam partem uſurpetur de ira & pœna; explicatio, quod in bonam hîc ſumatur partem, addita ſimul eſt per verba, ἐποίησε λύτρωσιν, *fecit liberationem* q. d. quia ita viſitavit populum ſuum, ut liberationem eidem fecerit, vel; viſitavit populum ſuum, dum fecit &c. ποιεῖν, *Facere*, contradiſtinguitur hîc τῷ λαλεῖν, *loqui, promittere*, ſignificatque, præſtare id, quod promiſſum eſt. Quod ex contextu haud obſcurum eſt. Nam Dominus, Deus Iſraëlis, ἐποίησε, *fecit liberationem populo ſuo*, καθὼς ἐλάλησε, *quemadmodum locutus eſt* (promiſit) *per os ſanctorum, qui à ſeculo fuerunt, prophetarum ſuorum.* Notandum ſimul, quod λύτρωσις, *liberatio*, hæc ſit ſingularis generis, cujusmodi aliæ Iſraëlitis factæ non fuerunt. Promiſit Deus Abrahamo & patribus liberationem quoq; populi, poſterorum eorum, ex Ægypto. Cujus generis liberatio ſi hæc eſſet, de quâ hîc Zacharias prophetat, non debuiſſet ſimpliciter vocari liberatio patribus facta, & ad præſtandum jusjurandum, quod juravit patri Abrahamo Deus. Neque ejus generis eſt, cujus fuit liberatio è captivitate Babylonicâ. Si namque hujus quoque generis fuiſſet, non debuiſſet ſimpliciter dici per os ſanctorum prophetarum promiſſa; cùm ſimilis, Babylonica, à prophetis promiſſa fuerit. Fuit ergò ſingulariſſimi generis liberatio, quæ neque per liberationem ex Ægypto forti DEI brachio factam; neque per liberationem ex Babylone ſine omni pretio factam, præſtari potuit: ſed quæ ab omnibus hoſtibus τὸ λατρεύειν, cultum DEI impedientibus, ab

omni timore coram DEO nos liberare debuit, per faciem Domini præsentem, & remissionem peccatorum merentem, & pretium pro hâc exponentem. Quò pertinet, quod cum *Beza* annotant, vocem λυτρώσεως ejusmodi liberationem per solutum pretium propriè & naturâ suâ significare, & contra *Grotium* urgent. Facta est hæc liberatio *populo DEI*, Israël, non exclusive, sed ordine prioritatis.

§. 7. vers. 69. Καὶ ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν, *Et erexit cornu salutis nobis*] Pergit Zacharias, vel Spiritus Sanctus potiùs in Præterito loqui, ἠγειρε, *Et erexit, excitavit*: sicut versu præcedenti præteritis quoque usus est, ἐπεσκέψαλο, *visitavit*, ἐποίησε, *fecit*. Hæc Præterita, ut ex ijs, quæ ad Verbum προφητεύειν, Prophetare, allegavimus, constare potest, pro Propheticis, hoc est, pro Futuris ferè accipiunt. Quod si decursum & complementum totius operis spectemus, quæ adhuc & quatenus adhuc futura erant, suum obtinere locum poterit. Quoniam tamen initium ejusdem liberationis jam ante menses sex factum fuit per conceptionem & incarnationem Filij DEI in utero Virginis, simplicia Futura esse non poterunt Verba hæc, sed melius dicetur, vera esse Præterita, quæ id, quod jam fieri cepit, significent cum certitudine infallibilis decursus & complementi. Et hoc alij quoque observarunt Interpretes. Sed hîc de κέρατι σωτηρίας, *Cornu salutis*, præcipuè, nec immeritò, Interpretes soliciti sunt. Duas hîc habet *Maldonatus* sententias. Una est, Cornu salutis esse potentiam DEI salutarem, quæ salutem efficiat; *Cornu*, inquit, *potentiam Hebraica phrasi significari, nemo ignorat, quia, ut ait Theophylactus, quæ animalia cornuta sunt, ea in cornibus totum ferè robur habent. Sic multi hoc loco accipi putant, idque ego confirmo. Cornu igitur salutis appellatur Cornu salutare, id est, divina manus, atque potentia, quæ nobis salutem affert. Erexisse autem hoc cornu Dominus dicitur, quasi prius dejectum fuisset, dum opem populo suo non ferebat; nunc verò quasi erectum & in sublime sublatum apparet. A tauris est ducta metaphora, qui quo robustiores, & ferociores sunt, eò altiùs extollunt cornua.* Altera sententia est, Cornu h. l. notare Regem vel Regnum. *Significat*, pergit ille, *etiam Cornu Regnum, seu Regem, sive regni gloriam, aut quia, ut Beda, Theophylactus & Euthymius existimant, cornu olei Reges inungebantur.* 1. *Reg.* 16. 1. 13. & 3. *Reg.* 1. 39.

aut

aut quia Rex, ut ego arbitror, tota gloria, totum robur est Regni. Hic etiam sensus recte in hunc locum congruit, eò magis etiam fortasse quàm alter, quòd mysterium magis exprimit, dum non quodcunque à DEO auxilium, sed ille ipse tàm diu expectatus Christus missus declaratur. Et quod videatur ad Davidis promissionem alludi Psalm. 131. 13. *illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo: & quod hoc sit propriè erigere fractum jam quodammodo Judæorum cornu, id est, regnum efficere, ut repullulescat & crescat.* Priorem Expositionem præfert *Jansenius* Conc. Evang. h. l. *Cornu*, scribit, *apud Hebraos frequenter pro gloria, regno, & potentia accipitur, quod gloria & fortitudo animalium cornutorum in cornibus sita sit: Cornu autem salutis hebraico tropo positum est, pro cornu salutari, aut salutifero. Itaque per istud cornu quidam intelligunt ipsum Messiam, ut intelligatur Deus erexisse in domo, hoc est, in familia David cornu salutare, quia in ea nasci fecit Messiam, qui ventilaturus esset hostes populi sui, eosque dispersurus. Verùm simplicius intelligitur Deum erexisse in familia David cornu salutare, eò quod gloriam regni, & potestatem superandi hostes populi DEI jam ademptam è familia David, rursus novo modo resuscitaverit in Christo jam nato è familia David. Non enim secundum Scripturæ modum homo dicitur Cornu.* Hæc *Jansenius. Hugoni Grotio* placet Cornu salutis esse h. l. regnum salutiferum, ex domo Davidis surrecturum: eò quod Paraphrastæ קרן Cornu vertere soleant מלכותא Regnum. *D. Chemn.* fortè in utramq; sententiam accipi poterit. *Quia igitur*, inquit, *grassante tunc Herodis tyrannide cornu domus Davidis concidisse videbatur, dicit Zacharias, concepto jam Messia ex semine Davidis, Deum promissum cornu erexisse in domo Davidis. Et erigendi verbo solidum robur & invictam ejus stabilitatem describit, contra quod ne inferorum quidem portæ prævalebunt. Est enim cornu salutis, hoc est, salutiferum, obtinens victoriam contra hostes, & adferens salutem captivis: ideò dicit, Erexit cornu salutis nobis. Et Syrus reddidit per vocabulum* פרק *quod significat redemptionem, liberationem & salvationem.* Non dubitandum esse videtur, quod omnes istæ Interpretum sententiæ in commodum, & qui Scripturæ analogiæ non adversetur, sensum accipi queant. Quod tamen *Jansenius* dicit, Cornu secundum Scripturæ loquendi modum non significare hominem; oblitus videtur ejus, quod de ipso Jehovah David dixit Psalm. XIIX v. 3.

Jehovah

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn325355568/17 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Jehovah clypeus meus, & cornu ſalutis meæ. Si namque Jehovah dici poteſt Cornu: quidni & homo cornu dici poſſit? Prætereà Meſſias ſeu Chriſtus non nudus homo eſt. Cornu etiam in ſuâ propriâ ſignificatione non accidens aliquod aut qualitatem denotat, ipſum robur aut potentiam; ſed ſubſtantiam ſolidam & firmam, in quâ robur eſt, & quæ inſtrumentum patrandi opera potentiæ eſſe poteſt & ſolet. Hoc quidem ſimul verum eſt, quod cornua animalium, in quibus robur ſuum habent, non ſint ſubſtantiæ per ſe, ſed in aliâ, tanquam pars in toto, ſubſiſtentes, quamdiu à corporibus ſuis non ſeparantur: intereà nihilominùs nihil impedit, quò minùs ſubjecta & perſonæ, in quibus robur & firmitas eſt, ſicut in cornu robur & firmitas eſt, cornua dicantur: quod ſuprà allegatus Pſalm. XIIX. v. 3. etiam probat. Quare Meſſias cur etiam Cornu dici queat, nihil obſtabit. Et malumus ſanè cum alijs præferre ſententiam, quæ hoc loco noſtro *Cornu ſalutis* de ipſo *Meſſia* ſeu *Chriſto* interpretatur. Exiſtimamus phraſin hoc ipſum requirere. Non enim dicitur Cornu perſonæ vel ſubjecti alicujus, cujus hoc cornu ſit, quemadmodum ſi dicatur, Cornu bovis, vel Cornu Monocerotis; ubi Cornu non poteſt eſſe ipſum ſubjectum, ſed pars in ſubjecto neceſſario dicendum eſt: ſed eſt ipſum ſubjectum, in quo ſalus eſt, vel quod ipſa ſalus eſt. Unde vertere ſolent, *Cornu ſalutare* vel *ſalutiferum*. Quomodo Cornu eſt res ipſa, quæ ſalutem adfert. Hanc verò oportet eſſe ſubjectum, quod efficit. Ubi ſi dixeris, ſubjectum eſſe potentiam ſeu robur, dicendum tibi erit porrò, quod Abſtractum pro Concreto ponatur, potentia vel robur, pro potenti vel robuſto: quibus ambagibus quid opus eſt? Nonne meliùs fecerim, ſi Cornu pro ipſo ſubjecto ſumſero potenti & robuſto? ſicut Cornu propriè ſumtum ſubſtantia ſeu ſubjectum eſt potentiæ ſeu roboris in animali. Et hîc rectè confertur Pſalm. CXXXII. verſ. 16. *Ibi germinare faciam cornu Davidi, diſponam lucernam Uncto meo.* Hîc namq; cum קרן *Cornu*, extra conſtructionem ponatur, Cornu, quod Davidi germinare debeat, certè ſubjectum ſeu perſona eſt Davidi è familia ejus excitanda: ſicut etiam נר *Lucerna*, non ipſa lux eſt, ſed ſubjectum lucis, res ſeu perſona luce prædita. Eſt hoc quoque cornu in domo & familia Davidis: in qua verò ſimpliciſſimè perſonæ numerantur, non perſonarum qualitates.

Vult

Vult hoc quoque Verbum ἐγείρειν, *Excitare, producere, germinare facere:* quod quando de domo seu familia hominis usurpatur, nonne de personis simpliciùs accipitur? Quod si verò & Cornu pro potentia vel regno acceperimus; nonne necessariò & consequenter de Rege, cujus regnum sit & potentia, quærendum adhuc erit? Nec objicietur meritò; unde constare possit, quod Rex hic, & non de familia Davidis alia persona e.g. Maria Virgo, intelligi debeat. Nam Cornu in domo Davidis Regia est, & cornu Davidi in V. Test. promissum; quod non debet aliud dici, quàm Rex Davidi domuiq; ejus promissus, Messias. Suprà jam de Interpretibus habuimus, quod vocem σωτηρίας, *salutis*, existiment positam per tropum Abstracti pro Concreto, vertantque, *Cornu salutare* vel *salutiferum*. Non ineptum hoc est: frequens namq; in Scriptura tropus est. Imò istum ipsum tropum hîc loci nos quoq; agnoscimus: sed malumus Abstractum pro Concreto, non Nominis Adjectivi, sed personæ; *Cornu salutis*, h. e. Salvatoris. Quomodo Appositio hîc erit, *Cornu salutis*, hoc est, Cornu, quod est ipsa salus, seu Salvator. Appositionem namq; sæpè per Constructionem in Scriptura fieri, notius est, quàm ut prolixè hîc à nobis probetur. Ita cùm Cornu latius & generalius vocabulum sit, exponitur per Appositum σωτηρίας, *salutis* Nomen, doceturque, quod cornu hoc nihil aliud sit, quàm ipsa salus seu Salvator. Gaudet autem Scriptura Abstractis vocabulis de Christo uti, e. g. 1. Cor. I. vers. 31. *Jesus Christus factus nobis Sapientia à DEO, justitiaque, & sanctificatio; & redemtio.* Nimirum, eo sensu, ut in hoc Jesu Christo subsistamus, nec in alio insuper talia quæramus. Ita arbitramur, Messiam infrà quoque vers. 71. σωτηρίαν, *Salutem* dici: de quo suo loco plura dicenda erunt.

§. 8. vers. eod. ἐν τῷ οἴκῳ Δαβὶδ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ, *In domo Davidis pueri sui.*] Erectum est cornu salutis, hoc est, Messias in domo Davidis: qui non locus est, in quo, sed familia, ex quâ, & & in quâ conceptus jam in utero matris suæ fuit. Neque quivis sunt, qui ad familiam pertinent; quomodo etiam servi & ancillæ familia sunt: sed familia seu domus est consanguinitatis, & cognationis: unde & Messias Filius Davidis dicitur. q. d. Erexit cornu salutis seu Messiam Regem, Salvatorem, ita ut ex familia Davidis carnem & sanguinem acceperit. Cæterùm Hebræum עבד *servus*,

à Græcis LXX. versum esse per παῖδα, quod aliàs *puerum* denotat, & ita etiam in N.T. usurpari, satis notum est. Fortè servum dilectum & electum singulariter, sicut filij diliguntur, vox significare debet. Nam David sanè servus DEI fuit singulariter electus & dilectus, sicut filius : inprimis autem Christus secundum humanam naturam servus DEI fuit à DEO Patre singulariſſimè dilectus & electus Matth. XII, vers. 18. Jes. XLII. vers. 1. sicut Filius; cùm Filius ipse DEI etiam personaliter fuerit. Nam Christus quoque est, qui παῖς τῦ θεῦ, *puer DEI* dicitur Act. III. v. 13.

§. 9. vers. 70. Καθὼς ἐλάλησε &c. *quemadmodum locutus est &c.*] Convenire ait Zacharias id, quod de visitatione populi sui, & excitatione Cornu salutis elocutus est, cum promissionibus divinis à seculo editis. Quanquam enim qui in Spiritu Sancto locutus est, & prophetavit, verbum protulit divinum & per se fide dignum ac infallibile; ad facilius tamen dignoscendum Spiritum, qui per ipsum locutus, Scripturas quoque Veteris Testamenti allegat, & ad eas provocat, ut appareat unum eundemque esse Spiritum, qui nunc per se loquatur, & qui olim per sanctos DEI locutus fuerit. Cæterùm τὸ καθὼς, *quemadmodum, sicut*, non proximum tantùm spectat, quod de domo seu familia Davidis dixit: sed referendum ad ipsam visitationem populi DEI, & quæ eam hucusque secuta sunt. Atque hoc etiam Interpretes observant: & vel ex hoc facilè colligitur, quia sancti, Prophetæ DEI, quorum hîc fit mentio, non de sola familia Davidis locuti sunt, sed de varijs ad Messiam spectantibus. Verbum λαλεῖν, *loqui, dicere*, generale est: sed pro specialibus sub se contentis, sicut Hebræum אמר usurpari solet: unde hîc, si saltem rem ipsam advertamus, nihil aliud est, quàm *prædicere*, & *in futurum promittere*. Trajectionem esse putant in verbis, τῶν ἁγίων, τῶν ἀπ' αἰῶνος τῶν προφητῶν αὐτῦ, pro, τῶν ἁγίων προφητῶν αὐτῦ, τῶν ἀπ' αἰῶνος. h. e. *sanctorum prophetarum, qui à seculo fuerunt*. Quomodo etiam *Syrus* & *Arabs*. Non incommodum hoc quidem est: non favet tamen articulus Græcus τῶν, bis positus. Non enim facilè Græcè ita loqui dixeris, Διὰ τῦ στόματος τῶν ἁγίων τῶν προφητῶν, *per os sanctorum prophetarum*, ut sint Adjectivum & Substantivum; sed si utique simul, sine ullo interposito, starent voces, statuenda tamen foret Appositio, hoc sensu; Sanctorum, hoc est, Prophetarum

rum ſuorum. Quare malumus verba, ut jacent, relinquere, ſine ulla trajectione. Cumq; ferè hîc nomen Prophetarum accipiant nominaliter de nobilibus in Scripturâ & vulgò etiam prophetis (de quo mox plura): nos participialiter potiùs ſumimus pro ijs, per quos DEUS prophetavit, & promiſſiones dedit de Meſſia: cujusmodi etiam Patriarchæ vetuſtiſſimi ante diluvium q. d. quemadmodum locutus eſt per os ſanctorum, à ſeculo, per quos de his prophetavit, & promiſſiones ſuas edidit de Meſſiâ, regno & rebus ejus. Proderit, ni fallor, hoc nobis in diſputatione de τῶν ἀπ' αἰῶνος, *eorum, qui à ſeculo.* De hoc enim præcipuè h. l. diſputatur. Et *Janſenius* quidem Concord. Evang. h. l. ita commentatur; *Dicit autem Sanctorum, ut oſtendat, de ijs loqui, qui ſancto afflati Spiritu locuti ſunt. Et, qui à ſeculo ſunt, hoc eſt, qui fuerunt ab antiquis temporibus. Videtur enim loqui de Prophetis illis, quorum prophetiæ ſunt in Scripturis traditæ: unde non poteſt, à ſeculo accipi, pro eo, quod eſt ab orbe condito. Sunt autem promiſſiones DEI de mittendo Meſſia duplices. Quædam enim ſunt factæ à DEO per Prophetas in Scripturis eorum, & de his loquitur in hoc verſu: quædam autem factæ ſunt à DEO per ſeipſum ad patres, Abraham, Iſaac, & Jacob, quas notat poſteà, cùm dicit de Teſtamento DEI, & jurejurando.* Duas in his verbis indicat ſententias. Unam, quam amplectitur, de Prophetis, quorum Prophetiæ in Scripturis extant, & qui poſt Patriarchas vixerunt: alteram de ijs, qui à condito mundo locuti de Meſſia ſunt. Utramque ſententiam clariùs habet *Maldonatus* in h. l. quando ſcribit; *Quod dicit, qui à ſeculo ſunt, aut fuerunt, utroque enim modo verti poteſt, quidam ſic intelligunt, quaſi omnes omninò Prophetæ, qui ab initio conditi mundi fuerint, de Chriſto prophetaverint. Nam & Adam ipſum, cùm dixit, Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne meâ Gen. 2. 23. ad Chriſtum & Eccleſiam proſpexiſſe, teſtatur D. Paulus ad Epheſ. 5. 31. Et Moyſem quinque libris legis de Chriſto ſcripſiſſe, Chriſtus ipſe docet Joan. 5. 46. & de reliquis Prophetis dubium non eſt, quia etſi non omnes fortaſſe nominatim de Chriſto locuti ſunt, tamen omnes eorum prophesiæ, aliæ quidem longiùs, aliæ verò propius in Chriſtum proſpiciebant. Ita Beda. Simpliciùs interpretari poſſumus, ut Hebraiſmus ſit,* ἀπ' αἰῶνος, מעולם *à ſeculo, id eſt, qui olim fuerunt, quaſi dicat, ſicut locutus eſt per os veterum ſuorum Prophetarum.* Quemadmo-

dum Gen. 6. 4. dicitur, isti sunt potentes à seculo viri famosi, id est, isti sunt gigantes illi antiqui adeò celebrati &c. Hactenus *Maldonatus.* Habemus hîc duas itaq; sententias: ex quibus quidem eam, quâ Sancti à seculo sunt veteres seu antiqui, qui olim fuerunt, præferri à *Jansenio & Maldonato*, ex adductis eorum verbis constat. Eandem secutus *Hugo Grotius* hæc annotavit; *Hîc ἀπ' αἰῶνος non est ab orbe condito, sed ab antiquis temporibus, quod satis ad ostendendam singularem DEI dispensationem. Rectè notarunt viri eruditi simile loquendi genus extare Genes. VI. 4. ubi Græcè est* οἱ γίγαντες οἱ ἀπ' αἰῶνος, *id est,* οἱ δεχαῖοι, *& Psalm. XXV. 6. sed & alibi. Neque dubito, quin hoc quidem loco Zacharias eos Prophetas significet, ex quorum vaticinijs desumta sunt, quæ sequuntur.* Ita ille. Verùm *D. Chemnitius* juxta alteram sententiam initium simpliciter intelligit. *Et,* inquit [*à seculo*] *hoc est, ab initio Deum semper omnibus temporibus excitasse Prophetas, per quorum ministerium patefecit, repetijt, illustravit & confirmavit promissionem de Messia.* Et mox: *Docet igitur Zacharias consentientem & constantem omnium Prophetarum, inde usque ab initio, doctrinam fuisse, veram salutem & liberationem non nisi in solo Christo quærendam. Atque ita non nova doctrina nec nova fides est, quæ in Novo Testamento à Baptistâ & à Christo tradita sunt.* *Grotium* notavit *Dn. D. Calovius* Bibl. Ill. ad h. l. *Temerè,* inquit, *hoc restringitur ad Mosen & eum sequutos prophetas: quum sonet apertè de Prophetis ab orbe condito: non enim illud ἀπ' αἰῶνος si propriè accipiatur, est tantùm ab antiquis temporibus, sed ab orbe condito. Et locutus est sanè Deus etiam per os sanctorum Patriarcharum ante & post diluvium, qui etiam prophetæ fuere, imò per os Adami, & inde ab orbe condito, postquam Gen. III. 15. Prot-Evangelium promulgatum fuit, cujus Interpretes esse debuere S. Patriarchæ, non minùs, quàm Moses, & eum sequuti prophetæ.* Certè haud obscurum est, quod ad insignem emphasin conciliandam, non tantùm dixerit Zacharias, τῶν ἁγίων τῶν προφητῶν αὐτοῦ, sed inseruerit, τῶν ἀπ' αἰῶνος, *eorum, qui à seculo fuerunt.* Nimirum emphasis Universalitatis aliqua in verbis continetur. q. d. Per os Sanctorum omnium, quotquot inde à seculo fuerunt, non nuper tantùm, prophetarum suorum. Quomodo ab Antiquitate egregiè commendatur gratia divinæ promissionis. Non negari quoq; potest, quod phrasis ἀπ' αἰῶνος, *à seculo*; propriè notet tempus defini-

definitum, cujus principium eſt αἰὼν, ſeculum ſeu mundus: non autem tempus antiquitatis qualiscunque indefinitum, olim, antiquitus, quondam &c. Quæ verò ratio eſſe poteſt, quare à ſimplicitate literæ diſcedamus? Inprimis, cùm certum ſit, ante Moſis ætatem & inſequentium Prophetarum editas fuiſſe de Meſſia prophetias per ſanctos Patriarchas. Et ne opus ſit ad ignotas traditiones confugere: Moſes ipſe ejusmodi prophetias in hiſtoria Patriarcharum annotavit. Ne etiam offendat nomen *prophetarum*, quaſi hoc loco noret Prophetas ſtrictè ſic dictos paſſim in Scripturis, ſuprà annotavimus, nomen hîc loci non tàm nominaliter, quàm participialiter accipiendum eſſe, ut determinet eos ſanctos, per quos Deus prophetavit; non autem omnes ſanctos promiſcuè.

§. 10. verſ. 71. Σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν &c. *Salutem ex inimicis noſtris &c.*] De *cohærentia* ad hunc locum & conſtructione ante omnia dubitatur. Nam, quemadmodum noſter *D. Chemnitius* ſcribit, *Accuſativus σωτηρίαν ita poſitus eſt, ut non facilè appareat, cum quo Verbo conſtruatur. Quidam ita ordinant, ut, quia præcedunt duo Verba, fecit redemtionem, erexit cornu, ut vel ad alterum, vel ad utrumque referatur, fecit vel erexit ſalutem. Alij Appoſitionem faciunt, erexit cornu, ſcilicet, ſalutem. Plerique cum verbo, locutus eſt, conſtruunt, in hanc ſententiam, locutus eſt ſalutem, hoc eſt, fore ut liberemur, vel ſalvemur. Atq; in hanc ſententiam Syrus reddidit, per Verbum Futurum, locutus eſt, quod redemturus, liberaturus, ſeu ſalvaturus eſſet nos. Dura enim videtur conſtructio, ſalutem ex inimicis & de manu hoſtium.* Sed *Ebræis uſitatum eſt Syntaxin verborum etiam tribuere nominibus: ut, ſicut dicitur, ſalvare ſeu liberare & eripere ex inimicis, ita etiam dicatur* σωτηρία, *ſalus, ſeu potius ſalvatio & liberatio de manu hoſtium.* Poſtremum hoc, de conſtructione cum, *locutus eſt*, præfert etiam *Maldonatus* in h. l. *Sicut*, inquit, *locutus eſt, id eſt, quemadmodum promiſerat nobis, ſalutem ex inimicis noſtris, id eſt, fore, ut nos ab inimicis noſtris liberaret; ita erexit nobis cornu ſalutis, id eſt, liberavit. Beda, & Euthym. exponunt, erexit nobis cornu, ſalutem ex inimicis noſtris, quaſi appoſitio ſit, quod non temere probaverim.* Ita ille. *Janſenius* eôdem contendit: *Accuſativum*, inquit, *hunc, ſalutem, quidam conſtruunt appoſitivè, cum cornu ſalutis, ut ſit ſenſus, erexit nobis cornu ſalutis, hoc eſt, erexit*

nobis ſalutem. Verum quoniam dura videtur ea locutio, erexit nobis ſalutem, rectiùs videtur ſecundum alios conjungendus Accuſativus cum verbo, locutus eſt, ut ſit ſenſus: ſicut locutus eſt ſalutem per Prophetas, ita jam implevit redemtionem, & erexit cornu ſalutare. Porrò Accuſativus, ſalutem, hîc accipi debet pro ſalvatione: alioqui enim durè cohæret, quod ſequitur, ex (hoc eſt, de) inimicis noſtris. Grotius ſe ijs aſſentiri dicit, qui conjungunt cum, ἐλάλησε, h. m. ἐλάλησε σωτηρίαν, *locutus eſt ſalutem.* Equidem non videtur res magni momenti eſſe. Nam utrumq; vetum eſt: erexit ſeu excitavit Deus ſalutem, & locutus eſt per prophetas de hâc ſalute: unde, cur contendamus, cauſa non eſt. Nos tamen ſubſcribere ijs malumus, qui Accuſativum, σωτηρίαν, *ſalutem*, cum Verbo ἤγειρε, *erexit, excitavit*, vel potiùs cum, κέρας σωτηρίας, *cornu ſalutis* conſtruunt. Si namque Evangeliſta cum ἐλάλησε, *locutus eſt*, conſtruere voluiſſet, procul dubio non dixiſſet, ἐλάλησε σωτηρίαν, *locutus eſt ſalutem*, ſed, ἐλάλησε περὶ σωτηρίας, *locutus eſt de ſalute.* Neq; etiam commodè conſtructio verbi ἐλάλησε, *locutus eſt*, in verſum 71. ſe extendit, ſed ex antecedentibus ſupplenda eſt, hoc modo: *Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui; ſicut locutus eſt*, quod illud erecturus eſſet, *per os Sanctorum, qui à ſeculo fuerunt, prophetarum ſuorum.* Quando *Janſenius* putat duram eſſe phraſin, *erexit ſalutem:* fortè offendit eum verbum Latinum, erexit. Verùm Verbum Græcum ἤγειρε, *Excitavit, venire fecit*, neminem jure offendet. Exiſtimamus itaque, quod non nuda hoc verſu ſit Appoſitio, ſed expoſitio potius ejus, quod dictum eſt, κέρας σωτηρίας, *cornu ſalutis*, ad docendum, qualis ſalus intelligenda ſit; nim. ſalus ex hoſtibus &c. Ut hic ſit ſenſus; *Et erexit nobis Cornu ſalutis (cornu*, id eſt, ſalutem: ut ſuo loco jam dictum) *in domo Davidis pueri ſui: ſicut*, ſe ejuſmodi cornu ſeu ſalutem erecturum eſſe, *locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſeculo fuerunt, prophetarum ſuorum:* erecturum, inquam, *ſalutem ex inimicis noſtris &c.* vel, *Erexit*, inquam, *ſalutem ex inimicis noſtris &c.* Solet namque Scriptura ex antecedentibus ſuis verbis aliquid reaſſumere, ut amplius quid, expoſitionis gratia, ſubjungat. Ita hoc loco cùm Evangeliſta de cornu ſalutis locutus ſit, mox, qualem ſalutem intelligat, nimirum ex inimicis noſtris, addit. Quod nomen σωτηρίας, *ſalutis*, pro Nomine Verbali, *ſalvatione*, accipiunt, non videtur neceſ-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn325355568/24 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

neceſſarium. Cur enim aliter hîc vocem accipiam, quàm cum dicitur κέρας σωτηρίας, *cornu ſalutis*, quod exponunt, cornu ſalutare vel ſalvificum? Malumus itaque dicere, quod σωτηρία, ſit hîc loci idem ac, σωτήριον, *ſalutare*, h. e. ipſe Salvator; Abſtracto pro Concreto poſito. q.d. *Et erexit cornu* h.e. ſalvatorem *in domo Davidis pueri ſui*; *Salvatorem*, inquam, *ex inimicis noſtris &c.* Quomodo etiam neminem offendere poterit conſtructio cum verbis, *Ex inimicis noſtris:* optimè namq; dicitur, Salvator ex hoſtibus.

§. II. verſ. eod. ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν *&c. Ex inimicis* ſeu *hoſtibus noſtris &c.*] Cum de conſtructione cum voce, σωτηρίαν, *ſalutem*, modò dictum ſit: hîc tantùm quærendum videndumque eſt, qui ſint *inimici* & *odio habentes*, ex quorum manu Salvator liberat? *Janſenius* itaque de his ita commentatur: *ſunt autem inimici noſtri, de quibus loquitur, Satanas cum impiorum ſpirituum copijs, affectus pravi ſolicitantes ad ea, quæ Deo ſunt inviſa, poſtremum homines impij, amantes magis, quæ ſunt hujus mundi, quàm quæ Dei ſunt, per quos velut organa vim ſuam exerit diabolus. Ab his autem omnibus ſalvamur per Chriſtum in præſenti quidem ſeculo ſecundum ſpiritum, in futuro autem etiam ſecundum corpus, & perfectius ſecundum ſpiritum. Maldonatus* de hoſtibus, non carnalibus, quos Judæi putant, ſed ſpiritualibus, dæmonibus, exponit. *Grotio* ἐχθροὶ, hoſtes, ſunt corpus peccati, mundus, mors & diabolus: quæ ab ijs liberatio præfigurata fuerit liberatione ex Ægypto, & liberatione Davidis à vi Saulis. Noſter *D. Chemnitius* pleniùs ita exponit; *Inimicos autem intelligit, ſicut Paulus explicat, Eph. VI. v. 12. non præcipuè carnem & ſanguinem: ſed peccatum, maledictionem legis, diabolum, mortem, infernum. Deinde etiam copias horum inimicorum, carnem ſcilicet & impium mundum, quem Eccleſia ſemper externum adverſarium & hoſtem habet & experitur. Cum itaque multi & varij ſint Eccleſiæ hoſtes, ideò Zacharias univerſaliter dicit; de manu omnium, qui oderunt nos.* Non dubitandum eſt, quin illi intelligantur hoſtes, de quibus Chriſto dictum eſt Pſalm. CX. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum:* quorum expoſitio amplior eſt apud Apoſtolum 1. Corinth. XV. Et ad Pſalmum Zacharias reſpicere videtur: hoſtes namq; Eccleſiæ ſunt hoſtes Chriſti. Notatu ſanè dignum videtur, quod Zacharias univerſaliter loquitur, *& è manu omnium, qui oderunt*

nos:

nos: & ſimpliciter meminit, inimicorum noſtrorum, quicunq; ſcil. fuerint. Quanquam namque tempore ejus populo Judaico Romani pro hoſtibus, quorum jugum per Meſſiam libenter excuſſum vidiſſent, fuerunt: Zacharias tamen non hos ſolos, ſed omnes hoſtes populi DEI intelligit q.d. Salvatorem, non qui è manu Romanorum tantùm, ſed qui ex omnibus inimicis noſtris, & è manu omnium, qui oderunt nos, inter quos multi Romanis atrociores, diabolus &c. nos liberet & ſalvet, non in hoc tempore tantum, ſed in æternùm.

§. 12. verſ. 72. Ποιῆσαι ἔλεος &c. *Facere miſericordiam &c.*] De *cohærentia* hîc rurſus aliquid dubij eſt. Quidam namque Infinitivum ποιῆσαι conſtruunt cum, *erexit* h. m. Erexit cornu ſalutis nobis, ut faceret miſericordiam &c. Alij, cum Verbo, ἐλάλησε, *locutus eſt* h. m. Ideò promiſit ſalutem ex inimicis noſtris, ut cum patribus noſtris faceret miſericordiam. vid. *Maldonatus* h. l. Sed D. *Chemnitius*, quem *Janſenius* ſecutus eſt, ad omnia antecedentia refert. *In Infinitivis*, ait, ποιῆσαι, μνησθῆναι, *ſubauditur* ἕνεκα, *& reſpondent verbis præcedentibus: ut ſenſus ſit, Deum viſitaſſe, feciſſe redemtionem, erexiſſe cornu, præſtitiſſe ſalutem in Chriſto, ut miſericordiam patribus promiſſam exhiberet, & reipsâ oſtenderet, ſe memorem eſſe promiſſionis de benedictione &c.* Hac quoq; in re non multum ſitum eſſe videtur: & eò magis, quia poſterior expoſitio reliquas includit. Si tamen, quid melius nobis eſſe appareat, dicendum ſit; aliud ab iſtis magis probaretur. Et 1. quidem ποιῆσαι, eſſe pro, τῦ ποιῆσαι, τῦ ποιῆσαι ἕνεκα, *ad faciendum, faciendi causâ, ut faceret*, libenter concedimus Interpretibus. Et 2. dependet quidem hic Infinitivus cum Verbo ἤγειρεν, *erexit, excitavit*: remotiùs tamen, & ita, ut per ſubaudiendam copulam καὶ, *Et*, immediatè cohæreat cùm καθὼς ἐλάλησε, *ſicut locutus eſt &c.* Nimirum duo fines ſeu cauſæ Finales, cur Deus erexerit cornu ſalutis ſeu ſalutem, conjunguntur; complementum ejus, quod DEUS per os Sanctorum, qui à ſeculo fuerunt, locutus eſt, & promiſſionis miſericordis patribus factæ. Quorum 3. complementum nobilius cùm ſit, quo facta & præſtita eſt miſericordia cum patribus, & gradatio inſuper ſit hoc & ſeq. v. ideò pro copula ſumi poteſt, *Inſuper, inprimis, præcipuè.* Eritque hic nexus & ſenſus: *Et erexit cornu ſalutis* ſeu *ſalutem nobis in domo Davidis pueri ſui: ut face-*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn325355568/26 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

faceret nobis, primò, juxta id, quod locutus est per os Sanctorum, qui à seculo fuerunt, prophetarum suorum, erecturum nobis ; salutem nimirum ex inimicis nostris, & ex manu omnium, qui oderunt nos: insuper, secundo, ut faceret misericordiam cum patribus nostris, & memor esset Testamenti sui, inprimis autem juramenti &c. Sed hîc jam, porrò quæritur, quid sit *Facere misericordiam cum patribus? Maldonatus* duplicem habet sensum : unum; misericordiam suam ostendisse DEUM erga Patres, quod Filium suum misisset: alterum; Deum tunc, cùm promisit magna, in eâ ipsa re erga patres nostros misericordia usum esse, quia propter eos Christum nobis promisit. Priorem sensum mox, quem omnes sequi ait, præfert, & ita explicat amplius. *Exponamus*, inquit, *quomodo patres illi nostri jam tunc mortui ex Christi adventu DEI misericordiam dicantur percepisse. Id duobus modis auctores intelligunt. Orig. tom.* 10. *& Theophylact. in commentarijs, quod illis etiam patribus Christi adventus & redemtio profuerit: fide enim & gratia nascituri Christi salvati sunt, ut ait Petrus Act.* 15. 12. *Euthymius verò, quod propter illos recordatus fuerit Deus promissi sui, & miserit Christum. Misericordiam enim erga illos fuisse, non modò, quod illis Christum promisisset, sed etiam quod suo miserit tempore, ut datam illis servaret fidem.* Atq; hoc posterius præfert, quia sequitur, *Et memorari testamenti sui sancti. Grotius* respici putat ad Exod. XX. v. 6. & Deuteron. V. vers. 10. *Faciens misericordiam in mille generationes ijs, qui diligunt me, & mandata mea faciunt:* cujusmodi homines etiam fuerint Hebrææ gentis satores. His itaque dici hoc loco collata beneficia, quæ propter illos posteris collata sint. Verumenimverò non hîc agi de promissione legali, sed Evangelicâ, benè monet *Dn. D. Calovius*, & testatur contextus. Longè meliora sunt, quæ *Dn. D. Chemnitius* hîc habet : *Cum patres illi jamdudum mortui essent: hâc phrasi ostendit, & ipsos, dum in terris his viverent, non proprijs meritis, sed gratuita misericordia DEI in fide Messiæ promissi, gratiam & salutem adeptos, & jam etiam post mortem fructum redemtionis Christi ad ipsos pertingere, cùm animæ ipsorum vivant, & corpora ad vitam reditura sint. Non igitur carnalis aut hujus mundi salus est, nec hujus vitæ angustijs terminatur, sed Spiritualis est & æterna, durans in morte, & post mortem tandem verè se exerens.* Sic ille. Omninò ἔλεος, *misericordia*, hoc loco est opus vel donum ex

misericordia oriundum & proficiscens : quod nihil aliud est, quàm missio Messiæ, patriarchis olim in Veteri Testamento promissa. Specialis enim misericordia est, quæ ad Patriarchas pertinet: non universalis, cujusmodi est legalis illa, quam *Grotius* ex Exod. XX. & Deuteron. V. allegavit. Hanc misericordiam Deus fecit, præstititque, quando Filium suum, promissum mundi Salvatorem, in carnem misit, & per eum omnibus populis terræ benedixit. Fecit hanc misericordiam μετὰ τῶν πατέρων, *cum patribus.* Quæ phrasis aliâs quoque in Scriptura usitata est, & nihil aliud vult, quam benè alicui facere, beneficium aliquod gratuitum conferre in aliquem. Sicut Judic. IIX. vers. ult. dicitur ; *Et non fecerunt* (filij Israelis) *misericordiam cum domo Jerubbaalis Gideon, juxta omne bonum, quod fecit cum Israële.* Et Supr. v. 56. Evangelista noster dixit; *Et audiverunt vicini ejus* (Elisabethæ) *& cognati, quod magnificasset Dominus misericordiam suam cum eâ.* Qui locus meritò cum nostro confertur. Quemadmodum enim Deus magnam fecit misericordiam cum Elisabethâ, dum fecit eam concipere præcursorem Christi ; cujus beneficium ad ipsam simul & populum ipsius pertinuit: ita fecit Deus misericordiam cum patribus, quando promissum ipsis ex posteris ipsorum Christum misit in carnem, & in utero matris Virginis concipi fecit, & hoc ipso promissionis complemento ineffabile non minùs patribus, quàm posteris eorum exhibuit beneficium. *Patrum* facit mentionem, non posterorum : quia de promissionis complemento loquitur, quæ patribus pro posteris facta est, non posteris pro patribus. Nec refert, quod patres jam mortui, & in vita æternâ animæ eorum erant. Quæcunque namque patribus beneficia præstita jam fuerant ex promissione, solida esse non poterant, nisi promissio impleretur : restabatque resurrectio mortuorum etiam patrum, quæ, nisi Christus veniret, & è mortuis resurgeret, contingere non poterat.

§. 13. vers. eod. καὶ μνησθῆναι Διαθήκης ἁγίας αὐτοῦ· *Et memor esset fœderis sui sancti.*] Nexus per copulam perspicuus est cum ποιῆσαι, *facere* : *inprimis ut faceret &c. & memor esset &c.* Per ἀυξήσεως autem figuram assurgit oratio per tria membra ; primum est de promissione, quæ quidem aliâs etiam sine fœdere & jurejurando fieri potest; deinde, ne videatur nuda esse promissio, addit,

addit, quod auget, fœdus; tertiò, jusjurandum etiam accedit Abrahamo factum. μνησθῆναι, *memorem esse*, est hoc loco, oblivioni non tradere, & quod memoria nunquam cessasset, ipso opere ostendere q. d. Et ut se memorem esse ostenderet fœderis sancti sui. Cæterùm hoc cum patribus fœdus in Scriptura notum, & circumcisionem inprimis concernit. *Sanctum* dicitur hoc fœdus h. e. propter suam sanctitatem, quàm à sanctissimo Deo habet, inviolabile prorsus, ne ipsa DEI sanctitas vacillaret.

§. 14. vers. 73. Ὅρκον ὃν ὤμοσε &c. *Jusjurandum, quod juravit &c.*] De nexu horum verborum cum præcedentibus soliciti sunt Interpretes. *Grotius* putat dependere adhuc à verbis καθὼς ἐλάλησε, sicut *locutus est*, quod verò parùm placet. Pejus tamen longè est, quod quidam apud *Maldonatum* h. l. volunt, textum corruptum esse, legendumque pro ὅρκον, ὅρκῳ, jurisjurandi: contra quos non malè disputat Jesuita, & meritò perversionem literarum sacrarum talia vocat. Alij apud eundem subaudiunt præpositionem κατὰ, *secundum*, κατ' ὅρκον, *juxta jusjurandum*. Quomodo etiam vertit *Dn. Eras. Schmidius*. Alii apud eundem construunt cum sequenti τοῦ δοῦναι ἡμῖν, *dare nobis*, per trajectionem h. m. Meminisse testamenti sui sancti, & dare nobis jusjurandum &c. Quo de rectè Jesuita; *Quod nimis mihi violentum videtur, & quia dura est trajectio. Ego sic intelligo*, inquit idem suam subjiciens sententiam, *ut sit appositio, non ullius quidem verbi, sed totius præcedentis sententiæ: Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, id est, quod est jusjurandum illud, quod juravit ad Abraham.* Sed optimè hîc scribit *Dn. D. Chemnitius* noster; *Simplicissima ratio est, quia Verbum* μέμνημαι *& cum Genitivo & cum Accusativo construitur, ut & Genitivus* Διαθήκης, *& Accusativus* ὅρκον *ad idem Verbum* μνησθῆναι, *quod utramque constructionem admittit, referatur, idque more Scripturæ non insolito.* Est hæc *Theophylacti* etiam sententia: quam *Jansenius* & alii sequuntur. Præferimus hanc reliquis Expositionibus: nisi quod Græcismum agnoscimus, quo illi simul subvenitur. Notum namque est, quod apud Græcos Nomina, quæ post se Relationem habent, non retineant Casum Verbi, sed assumant Casum sequentis Relativi. Exempla passim obvia sunt in scripturis etiam. Cùm itaque hoc loco dicendum

 fuisset,

fuiſſet, μνησθῆναι διαθήκης ἁγίας αὐτοῦ, ὅρκου, ὃν ὤμοσε, dicitur, ὅρκον ὃν ὤμοσε, aſſumto in Nomine Accuſativo Caſu, eò quod eundem Caſum ſequens Relativum habet. Atque hic Græciſmus locum habet in Verbis etiam, quæ diverſos Caſus non admittunt. Cæterum ſubaudienda eſt ſimul copula, καὶ, *Et*, καὶ ὅρκον, *Et jusjurandum*: ad faciendam gradationem; plus namq; eſt jusjurandum, quàm fœdus, cùm fœdera dentur ſine jurejurando. De hoc autem juramento, quod Deus Abrahamo juravit, videri etiam poteſt Apoſtolus Paulus Hebr. VI. verſ. 13. Quid autem Deus juraverit, ſubjicit; τοῦ δοῦναι ἡμῖν, *daturum ſe nobis &c.* Ita namque *Vulgatus* nectit. Quem probat *Maldonatus*, *Grotius* & alij. Sed *Dn. D. Chemnitius* aliter nectit. *Ratio*, inquit, *Grammatices in Vulgata Verſione non rectè obſervata, veram cohærentiam divulſit: quaſi ordo verborum & ſenſus ſit*, Jusjurandum, *quod juravit ſe nobis daturum. Sed articulus* τοῦ *præpoſitus Infinitivo* δοῦναι, *oſtendit eum non cum verbo juravit conſtrui debere, ſed novam inchoari ſententiam, in quâ cauſa Finalis omnium præcedentium explicetnr: eſſe hoc donum, ut ſcilicet, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſine timore ipſi ſerviamus.* In quem ſenſum etiam abit *Janſenius* h. l. quando ſcribit: *Quanquam hoc Grammatica Latina non benè admittat, tamen ut habeatur aptus nexus & ſenſus Evangeliſtæ, præſtat ab illis verbis, daturum ſe nobis, nova incipiatur ſententia, & exponatur pro eo, quod eſt, ut ipſe daret nobis: ſicut, memorari, exponi debet, pro, ut memoraretur. Quid autem daret nobis? nimirum, ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus ei, vel ut potius vertendum erat, ſerviremus ei.* Eodem contendit Verſio *Eraſmi Roterodami*; *Præſtaretq; jusjurandum, quod juravit ad Abraham, patrem noſtrum, ac durat nobis, ut ſine timore &c. Syrus* tamen vertit; *quod daturus eſſet nobis. Beza & Eraſm. Schmidius*; *nempe daturum ſe nobis.* Quantum ad verba eorundemque nexum attinet: fortè difficultati facilè quis medebitur, ſi 1. Infinitivus τοῦ δοῦναι connectatur cum ὅρκον, jusjurandum. h. m. *Jurisjurandi* τοῦ *dare nobis*, h. e. daturum ſe nobis. 2. ſi obſervetur, quod ſuo loco jam diximus, quòd gradatio in ſermone ſit; Deus erexit cornu ſalutis, ſalutem ex inimicis noſtris; juxta, primò, promiſſionem per os Sanctorum, qui à ſeculo fuerunt; juxta, ſecundo, promiſſiones Patriarchis factas; juxta, tertiò, fœdus ſanctum ſuum; juxta, quartò,

jus-

jusjurandum Abrahamo datum. Hæc 3. gradatio cùm ita se habeat, utique id, quod post ultimum gradationis membrum de juramento positum est, ad priora etiam membra pertinet. Atque sic per τὸ δοῦναι ἡμῖν, daturum se nobis, cum ὅρκον jusjurandum proximè cohæret, sed cum jusjurandum hoc super fœdere sancto DEI, super promissione Patriarchis factâ, & super prædictionibus Veterum sanctorum sit, adeoq; nihil aliud, quoad rem, quàm hæc contineat, utique ad hæc quoque se extendit, quod de Jurejurando dicitur, τὸ δοῦναι *dare, daturum se.*

§. 15. vers. 74. Ἀφόβως, ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν, *Sine timore, e manu inimicorum &c.*] Quantum ad *cohærentiam rerum* attinet, modò indicavimus, quod res ipsa, jurejurando confirmata, fœdere DEI sancta, Patriarchis & sanctis vetustissimis de cornu salutis & Salvatore ex inimicis promissa, his verbis subjungatur. Ubi sive causam Finalem sive materiam voces, parùm referet. Res autem hæc promissa, fœdere & juramento confirmata, tanquam in summam paucis verbis contrahitur; non ipsis Scripturæ verbis profertur. Et non obscurum esse videtur, quod per ipsa hujus versus verba pleniùs exponatur, quod suprà vers. 71. dictum est, *Salutem ex inimicis nostris, & è manu omnium, qui oderunt nos.* Nam sicut hîc salus est ex inimicis, ita noster versus habet ereptionem è manu hostium. Salus autem & ereptio exponitur, quod in hoc consistat, ut sine timore serviamus Deo cum sanctitate &c. *Grotius* quidem vult, haberi hîc paraphrasin Spiritus Sancti super verba jurisjurandi; *semen tuum hereditario jure possidebit portas hostium suorum; in quibus* σαρκικὰ, *carnalia sunt umbra spiritualium.* Verùm non paraphrasis unius promissionis, sed summa omnium promissionum hîc continetur; sicut dictum. Quid verò etiam opus est hîc loci ad umbram σαρκικῶν, carnalium confugere, cùm sine umbris promissiones & juramentum DEI habeamus; *Nisi benedicens benedixero tibi, & multiplicans multiplicavero te, semenque tuum, sicut stellas cœli, & sicut arenam, quæ est ad littus maris, & hereditario jure possidebunt semen tuum portam inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ?* Plura adducere opus non est. De *nexu verborum* versus inter se *Jansenius* scribit; *In hoc autem versu illud, sine timore, potius conjungendum cum verbo, serviamus, quàm cum Participio, liberati; ut*

sit sensus; ut nos liberati de manu, id est, potestate hostium nostrorum, deinceps serviamus ei liberè, & sine timore omni. Est autem *Theophylactus*, qui cum Participio coniungit; de quo *Maldonatus* h. l. *Theophylacti non probo sententiam, adverbium* ἀφόβως, *sine timore, cum Participio* ῥυσθέντας, *liberati, jungentis, quasi sententia sit, nos aliàs non sine timore, id est, non sine periculo, non sine bellicis cladibus, non sine sanguine liberatos fuisse, nunc verò sine ullo timore ac periculo liberandos.* Et meritò communis illa, quam *Jansenius* exposuit, tenetur sententia: cùm facilè appareat, sententiam *Theophylacti* nimis subtilem esse. Non immeritò etiam dicimus, ἀφόβως, *sine timore*, exponi per id, quod sequitur, *è manu hostium nostrorum ereptos* vel *liberatos*; q. d. Ut sine timore, tanquam è manu & timore hostium jam erepti, serviamus ipsi. Sed quid est, ἀφόβως λατρεύειν θεῷ, *sine timore servire Deo* seu *colere Deum? Jansenius* timorem servilem intelligit. *Est*, inquit, *exclusio timoris servilis; unde dicit, sine timore, scilicet servili, in quo prius servierunt Deo Judæi.* Sed non placet hoc *Maldonato*; *Qui*, inquit, *timorem hoc loco servilem, quem vocant, interpretantur, verborum nexum non animadvertunt, qui satis apertè docet, non de timore Dei aut servili, aut filiali, sed de timore inimicorum agi, sine quo essemus Deo liberè servituri.* Et certè timor ille servilis, quem *Jansenius* Judæis sub V. Test. tribuit, & *Grotius* hîc etiam obtrudit, locum hîc nullum meretur, & aliâs improbatur. Interim *Maldonatus* etiam timorem servilem non rectè intelligit, quando eum timori hostium opponit. Meliùs rem *Dn. D. Chemnitius* noster exponit: *Significat autem Zacharias Adverbio* ἀφόβως, *non epicuræam securitatem, quæ Deum nec timet, nec reveretur: sed opponit timori servili, & intelligit, pacem & tranquillitatem conscientiæ erga Deum, & contra omnes tentationes Rom. 5. v. 1. secundò, accessum ad Deum in fiducia Ephes. 3. v. 12. non in spiritu servitutis fugiente Deum, sed in spiritu adoptionis, clamante, Abba pater Rom. 8. v. 15. Tertiò, quod non omnes cultores Deo placeant, sed illi, qui animo spontaneo Deo serviunt, qui scilicet certi sunt, propter Christum, & se placere Deo, & obsequia sua ei probari. Finis igitur nostræ redemptionis est, non ut pravis cupiditatibus indulgentes, diabolo, mundo & carni serviamus, sed, ut abnegatâ impietate, cultui DEI totos nos devoveamus. Tit. 2. v. 10.* Diximus paulò antè, quod *Maldonatus* malè timo-

rem

rem ſervilem timori ab hoſtibus oppoſuerit: non enim intellexit, quòd unus idemq; timor ſit, timor ſervilis & timor ab hoſtibus ſpiritualibus. Et certè noſter verſus hoc ipſum vult, quando dicit; *Ut ſine timore, è manu hoſtium erepti, ſerviamus ei* q. d. Ut, erepti è manu hoſtium, è ſervitute eorum, ſine horum timore ſervili ſerviamus Deo. Hoſtes ſunt diabolus, mundus, caro, peccatum, mors, maledictio & condemnatio Legis. Quamdiu homo in manu & poteſtate horum hoſtium eſt, ſi utique Deo, juxta inſtinctum legis naturæ, imò & Legis Moralis Moſaicæ, interpretamento & complemento ejus, homo ejusmodi ſervire, eumq; colere, voluerit, ſemper tamen timori ſervili ſubjacet, quod non rectè Deo ſerviat, nec cum cultu ſuo ei placeat, ſed ſub ira & pœnis ejus maneat. Et hunc timorem ſervi, verbera ſemper timentis, injiciunt homini hoſtes ipſius, diabolus, mundus, caro, lex maledicens & condemnans: ut ſine timore hoc ſervili DEO ejusmodi homo ſervire nequeat. Contrà verò prorſus ſe res habet ſub Chriſto, ſervatore & liberatore ab hoſtibus. Nam quando Chriſtus pro hominibus hoſtes, diabolum, mundum, peccatum, mortem devicit, & è poteſtate eorum illos, ut non dominentur illis, eripuit, ipſique Legis maledictioni & condemnationi ſatisfecit, ceſſat timor ſervilis, ab ira, condemnatione & pœnis DEI ſibi timens, ab hoſtibus prius injectus, ut deinceps ab omni iſtoc timore ſervili liberi, non ſe ſervos indignos, ſed filios Dei eſſe credant, & filiali cultu ei ſerviant. Conſiderat namque Zacharias homines, non quatenus vel ſub Veteri vel ſub Novo Teſtamento ſunt: ſed quales extra Chriſtum & in Chriſto; quatenus ante & extra Chriſtum ſub poteſtate hoſtium ſpiritualium ſervi peccati indigni; & quatenus in Chriſto, per hunc è poteſtate hoſtium erepti, & à ſervitute peccati liberati, filii DEI dilecti ſine timore ſunt, ipſumque colunt.

§. 16. verſ. 75. Ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ &c. *In ſanctitate & juſtitiâ coram ipſo &c.*] Verba verſus huius ita *Dn. D. Chemnitius* noſter exponit: *Cultum novi Teſtamenti indicat Zacharias conſiſtere, non in ceremonijs Leviticis, aut in ſpecie ſeu hypocriſi externâ ad oculum, ut ab hominibus ſpectemur Matth. 6. v. 1. Sed in juſtitiâ & ſanctitate, & quidem coram Deo, quaſi ipſo inſpectanti, qui cor intuetur, eo ſtudio & reverentia, ut quæ placita ſunt coram ipſo faciamus*

1. Joan.

1. *Joan. 3. v. 22. Non semel aut aliquando tantùm, nec certis tantùm, aut statis festivitatibus, ut in lege: sed omnibus diebus vitæ nostræ. Inter justitiam autem & sanctitatem quidam hoc loco ita distinguunt, ut sanctitas ad officia pietatis primæ tabulæ Decalogi: justitia ad caritatis officia posterioris tabulæ referatur &c. Ac possent etiam ita accipi vocabula, ut sanctimonia cultum utriusq; tabulæ complectatur: justitiæ verò vocabulum pro justitia fidei accipiatur: ut sensus sit, ea demum esse verè bona & Deo placentia opera, quando persona priùs Deo per Christum reconciliata est, & obedientia procedit ex corde puro, conscientia bona & fide non ficta* 1. *Tim.* 1. *vers.* 5. Hæc noster *D. Chemnitius.* Distinctionem inter sanctitatem & justitiam, cujus meminit, *Maldonatus Theophylacto & Euthymio* tribuit; sed addit; *Mihi magis probabile videtur, ut justitia generaliter accipiatur, omnemque virtutem, etiam ipsam in Deum pietatem comprehendat.* *Jansenius* sanctitatem & justitiam simul contradistinguit externo adorationis cultui, & ceremoniis legalibus. Cumque τὸ *coram ipso, Maldonatus* dicat omnes sic interpretari, non fictè, non simulatè, sed verè, non solum hominum, sed DEI etiam iudicio: ipse opponit legi Evangelium: in lege homines non Deum, sed Moysem aut alium Prophetam, vel Sacerdotem videntes servivisse; in Evangelio verò ipsum intuentes Deum, id est, Christum, quia verbum caro factum est &c. Verùm hanc *Maldonati* subtilitatem, ne quidem socii eius, ut opinor, probabunt. Quid enim? nonne iam ante Mosen DEUS Abrahamo dixit; *Ambula coram me?* Gen. XVII. Nobis maxime placet, quod de Justitia fidei *Dn. D. Chemnitius* habet: nec aliud per ὁσιότητα significari existimamus. Si conferamus cum hoc loco, quod Paulus dicit Eph. IV. novum hominem secundum Deum creari in iustitia & sanctitate veritatis, sicut quidam conferunt: dicendum erit, quod sanctitas & iustitia coram DEO ideò ponatur, quod discrimen earundem sit. Omnis namq; vera sanctitas & iustitia coram Deo est, quæ Deo in iudicio ipsius satisfacit, & ita placet, ut hominem quoque placentem ipsi reddat. At hæc sanctitas & iustitia coram Deo iam duplex est: una, propria ei, qui coram Deo iudicandus; qualis fuit Adami, in quâ ab initio creatus est sanctus & iustus, & si in ea constanter ambulasset, serviviset sine dubio in sanctitate & iustitiâ coram Deo: altera, aliena, sed pro iudicando valida coram

ram Deo; quæ eſt ſanctitas & juſtitia ſatisfactoria Chriſti, propter quam homo DEO placet & gratus eſt. Non poteſt cultus DEO ab homine præſtitus placere DEO, & extra timorem eum ponere, niſi alterutram habeat juſtitiam & ſanctitatem coram DEO. Zacharias itaque in h. v. indicat, quod nos homines extra Chriſtum non poſſimus ſervire DEO in ſanctitate & juſtitia coram ipſo, propterea quod ejusmodi ſanctitatem & juſtitiam DEO ſatisfacientem voluntatique ejus, ſive in nobis propriam, ſive in alio alienam habeamus: dicit autem è contrario, quod in Chriſto nobis detur, ut in ſanctitate & juſtitia coram DEO, tanquam quam in Chriſto habeamus, ſervire queamus ea ſervitute atque cultu, quem nobis in verbo ſuo præſcripſit. Ut ſenſus ſit; Deum dare nobis per Chriſtum, ut ſerviamus ipſi cultu ipſi debito & præſcripto in verbo ipſius, & quidem in ſanctitate & juſtitia fidei in Chriſtum coram ipſo validâ, & cultum noſtrum ipſi gratum reddente, hoc eſt, juſtitiâ Chriſti ſatisfactoria nobisque imputatâ, ſine omni timore, quaſi noſter cultus DEO ingratus eſſet. Hoc autem in Chriſto facere poſſumus & debemus omnibus diebus vitæ noſtræ: ſicut in textu additur. Hæc itaque ſanctitas & juſtitia coram DEO eſt, quam neque in nobis ipſis poſt lapſum, neque in ceremoniis Moſaicis, in ſe & per ſe conſideratis, nec in alio quoquam habere potuimus; ſed in ſolo Chriſto conceſſa eſt. Act. IV.

§. 17. verſ. 76. *Καὶ σὺ παιδίον προφήτης &c. Et tu puer Propheta &c.*] In hoc verſu præcipuè ſaltem ſoliciti ſunt Interpretes de eo, quo modo Johannes Baptiſta vocetur *Propheta*. *Dn. D. Chemnitius* noſter ſcribit; *Quia verò fuerunt varia prophetarum officia, vel de futuris vaticinari, vel Scripturam interpretari, vel politica quædam adminiſtrare, Zacharias verbis ex Mal. 3. v. 1. & Eſa. 50. verſ. 3. deſumptis, peculiare officium Johanni aſſignat, quod Chriſtus affirmat, eſſe plus quàm prophetam Matt. 11. v, 9. fore ſcilicet, ut non longè, ſicut reliqui prophetæ, ſed ante faciem Meſſiæ mox præſentis, & officio ſuo ſubſequentis, tanquam præco & apparitor præcedat, & prædicatione pœnitentiæ, ac teſtimonio ſuo de lumine, viam ipſi paret, ut omnes per ipſum in verum lumen crederent, Johan. 1. v. 7.* Sunt, qui exiſtimant Prophetam dici hîc Johannem, h. e. interpretem Scripturæ. Sed etiam futura prædixiſſe de Meſſia & extremo ju-

dicio, alij obſervant. In genere Propheta, ut ſuo loco jam indicatum, in Scripturis eſt, qui ex revelatione divinâ ea habet, quæ ſine eâ, & quatenus ſine eâ, haberi non poſſunt, de rebus occultis, ſive præteritis, ſive præſentibus, ſive futuris. Unde ne Interpres quidem Scripturæ Propheta dici poteſt, niſi quatenus interpretationem ex revelatione Spiritus Sancti immediata habet. Jam verò Johannes Baptiſta ejusmodi revelationem divinam immediatam habuit, de myſterio DEI occulto: ſicut ipſe dixit; *Ut manifeſtus fiat Iſraëli, propterea veni ego, aquâ baptizans* Johan. I. v. 31. Et locutus eſt de rebus etiam futuris, antequam fierent. De eo porrò, quod Zacharias puerum Johannem alloquitur, ſcribit *Janſenius*; *Convertitur jam in vaticinio ſuo ad filium: quem quia alloquitur, intelligunt Ambroſ. & Theophyl. etiam jam in puero fuiſſe uſum rationis, & patris verba intellexiſſe. Et Cajetan. nonnullum hinc argumentum ſumi poſſe putat, quo probetur, uſum rationis Joanni in utero divinitus conceſſum, deinceps ſemper in ipſo permanſiſſe. Verum ſimplicius fuerit dicere, Zachariam puerum etiam non intelligentem allocutum more prophetarum, qui etiam irrationabilia, & futuros quaſi præſentes alloquuntur, idque ad inſtructionem audientium & legentium. Ad quem modum intelligit Beda.* Hæc ille: quæ ſe certè benè habent. Cæterùm τὸ *vocaris* non opponitur τῷ *eſſe*, ſed τὸ eſſe ſupponit & includit: *vocaberis* ſcil. rectè, quia eris. Quomodo Johannes præiverit ante faciem Domini, Evangelica hiſtoria prolixè exponit. Cum *Theophylacto* per vias intelligere animas, non eſt opus: ſunt namq; viæ, per quas Chriſtus ad animas ingreditur; ſicut ſequitur.

§. 18. verſ. 77. Τοῦ δοῦναι γνῶσιν σωτηρίας, *Ad dandum cognitionem ſalutis &c.*] *Cohærentiam* cum præcedenti verſu faciunt quidam per ſubauditam Copulam; *parare & dare ſcientiam.* vid. *B. Lutherus, Beza, Eraſm. Schmidius* & alij. Alij putant, explanativum ſupplendum h. m. *ad parandum vias*, hoc eſt, vel nempè *ad dandum ſcientiam &c.* vid. *Janſen.* & alij. *Dn. D. Chemnitius* ſcribit; *Infinitivus* τοῦ δοῦναι, *hunc præbet ſenſum; ideò Baptiſtam prædicatione pœnitentiæ parare viam, ut poſſit rectè tradere ſcientiam ſalutis, quæ conſiſtit in remiſſione peccatorum.* Coꝫuniter autem hanc dationem ſcientiæ, non Chriſto, ſed Baptiſtæ tribuunt. Unde *D. Chemnitius*; *Præcipuam partem Miniſterij Baptiſtæ, quæ ipſa vox Evan-*

Evangelij est, Zacharias describit: Dabit, inquit, non ipsam salutem, quod Christi proprium est, sed docendo tradet veram salutis sive vitæ æternæ, sicut Syrus habet, cognitionem, quod illa consistat in remissione peccatorum &c. Posset hoc de Christo accipi, eo sensu, quod Johannes Baptista ita præparaturus esset vias Domini, ut mox ipse Dominus facilius & plenius daret cognitionem salutis suæ populo suo. Sed quia dicitur, τῷ λαῷ αὐτοῦ, *populo ipsius*, non αὐτοῦ, *suo*, & mox *orientis ex alto* h. e. Christi, quasi alius, mentio fit, communem sequimur ita, ut duo Infinitivi se regant, ἑτοιμάσαι τοῦ δοῦναι scil. ἕνεκα: sicut mox de Christo dicitur, ἐπιφᾶναι τοῦ κατευθῦναι. Quo Casu observamus posteriorem Infinitivum modum, finem & effectum prioris denotare: parare vias ejus dandi causa, h. e. id ut det, per hoc, ut det cognitionem salutis. Nam hoc modo & per hanc ipsam dationem cognitionis præparavit viam Domino. Sic illuxit oriens ex alto τοῦ κατευθῦναι, ita ut direxerit, & per hoc ipsum, quod direxerit pedes nostros in viam pacis. γνῶσις, *cognitio*, non nuda cognitio est seu notitia, quæ Pharisæis incredulis etiam data est, sed cognitio fidei seu ipsa, quæ crediturus danda erat. σωτηρία, *Salus*, alijs ipse Dominus seu Christus est: alijs, ipsa vita æterna, cum *Syro*. Malumus repetere Relativum h. m. σωτηρίας αὐτοῦ scil. κυρίου, *ut des cognitionem salutis ejus* scil. Domini, *populo ejus*. Hanc salutem Johannes omni populo Domini daturus erat; multi non acceperunt. Dedit autem populo Johannes cognitionem salutis Christi in remissione peccatorum, hoc est, per hoc, quod verbo Evangelij prædicavit, & sigillo Baptismi confirmavit ipsis remissionem peccatorum ita, ut fides ipsorum certò cognosceret & sciret, salutem Christi ad se pertinere, & suam esse. Potest dici Nomen Verbale *remissionis* pro ipso Verbo Positum: quod in hoc ipso Cantico fieri, aliâs quidam annotarunt suprà: *Ut des cognitionem salutis populo ejus in remissione peccatorum* h. e. in remittendo ijs, seu remittendo ijs peccata eorum verbo & Baptismo. Causas autem hujus peccatorum remissionis mox exponit.

§. 19. vers. 78. Διὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν, *Per viscera misericordiæ DEI nostri &c.*] Cohæret hic versus cum fine præcedentis arctissimè per præpositionem Διά *per*. Nimirum, ut modò indicatum, Causæ remissionis peccatorum, misericordia

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn325355568/37 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

DEI Patris, & visitatio Filij, qui oriens ex alto, ad satisfaciendum pro nobis, subjiciuntur: quod nec Pontificijs obscurum fuit. *Deinde*, inquit *Jansenius* h. l. *ut ne remissio peccatorum ex circumcisione, lege, proprijsque operum meritis parari posse putetur, mox adjecit; Per viscera misericordiæ DEI nostri, significans remissionem peccatorum contingere per DEI misericordiam, eamque non simplicem, sed profundam, intimam ac præ nimia caritate nobis commiserentem.* Qui idem mox dicit, misericordiam hanc DEI eam esse solam, quâ Filium suum Pater misit in mundum. Quod mirum est, si non ex nostro *Dn. D. Chemnitio* sumsit; qui hic scribit; *Zacharias dicit, intervenire misericordiam DEI, non simplicem, communem aut vulgarem, qualis in reliquis DEI operibus conspicitur, sed intimam, profundissimam, summam & immensam, quæ Metaphora viscerum describitur &c.* Et mox: *Zacharias addit, quod Paulus aliàs planis & manifestis verbis explicat, Deum ex immensa misericordia Filium suum misisse in mundum, natum ex muliere, factum sub lege, ut pro peccatis nostris satisfaceret.* Præpositionem διὰ, licet hîc cum Accusativo construatur, cõmuniter vertunt, *Per*, διὰ σπλάγχνα *Per viscera:* quam constructionem & significationem alibi etiam habet. Significat autem hæc præpositio Causam Efficientem Principalem remissionis peccatorum per Johannem Baptistam prædicatæ & datæ: quæ est Deus à visceribus misericordiæ suæ impulsus, vel viscera misericordiæ DEI, quæ ipse DEUS sunt. Non enim Johannes Baptista per seipsum aut per viscera misericordiæ suæ, quasi ipse Dominus & Causa principalis foret; sed ipse minister per viscera misericordiæ Dei, tanquam Causæ Principalis, peccata remittere potuit, & remisit. Hæc verò misericordia non absoluta est, quæ sine ulla satisfactione peccata remittat; sed visitavit homines per orientem ex alto, Filium DEI, satisfactorem pro omnium hominum peccatis. Unde clarè noster versus dicit, quod viscera misericordiæ DEI, per quæ populo ipsius remissio peccatorum datur, sint illa, in quibus nos visitat oriens ex alto, tanquam ab ijs datus, & in ijs ad nos veniens. Unde duas remissionis peccatorum Causas hoc versu habemus; Causam Efficientem Principalem, viscera misericordiæ DEI; & Causam meritoriam, orientem ex alto, h. e. Christum. Quas etiam tres facere possumus; Principalem Efficientem, DEUM;

Impul-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn325355568/38 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Impulsivam, viscera misericordiæ; & meritoriam, Christum Filium DEI.

§. 20. vers. eod. ἐν οἷς ἐπεσκέψαλο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὑψους, *in quibus visitavit nos oriens ex alto.*] De visitatione suprà jam dicta sunt, quæ sufficiunt. Quæ sit ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, seu quis *oriens ex alto*, videndum est. *Plerique*, juxta *D. Chemnitium*, per ἀνατολὴν, *ortum*, intelligunt, locum, in quo Sol oritur. Unde Christum hîc Solem dici existimant orientem. vid. *Maldon.* h. l. *Grotius* ἀνατολὴν h. l. sumit pro luce matutinâ, quæ clarissima; per quam lucem doctrinæ Chtisti intelligit. Alijs ἀνατολὴ est idem ac Hebræorum צמח *Germen*, quo nomine apud Ptophetas Christus appellatur, & à Lxx. per ἀνατολὴν redditur. Alijs tandem est ortus Solis vel Sol oriens: quam præferendam ex contextu docent. vid. *D. Chemnitius*, *D. Calovius* h. l. Benè quoque monetur, quod τὸ ἐξ ὕψους, *ex alto*, non cum verbo, ἐπεσκέψαλο, sed cum ἀνατολὴ, conjungendum sit: describitur namque hic oriens & distinguitur, tanquam is, qui non de terra surgit, oritur & visitat, sed ex alto h. e. altissimo throno DEI. Exivit namque hic Sol, Christus, à Patre suo, & venit in mundum; ut ipse aliquoties locutus est.

§. 21. vers. 79. Ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει, *Illucescere ijs, qui in tenebris &c.*] De visitatione orientis ex alto locutus est versu præcedenti Zacharias: nunc, quem in finem illa visitatio facta sit, exponit: nimirum, ut illucescat ijs, qui in tenebris & umbra mortis sedent &c. Ita de Causa finali accipimus hæc *Maldonati* verba; *Reddit causam, cur visitaverit nos oriens ex alto, nempe, ut illuminaret ijs, qui in tenebris & umbra mortis sedebant.* Plana hæc est & communis sententia. Græcum ἐπιφᾶναι *Vulgatus* vertit *illuminare.* De quo, num Imperativus, an Infinitivus; Activum, an Neutrum vel deponens, disputant ij, quibus autoritas *Vulgati* nimiæ curæ est. vid. *Jansenius*, *Maldonatus*, *Cajetanus* h. l. Græcus Infinitivus ἐπιφᾶναι, *illucescere, apparere, lucem dare & adferre, affulgere*, ab ista solicitudine nos liberat. Et perspicua est comparatio cum Sole hujus mundi; qui quando visitat oriens homines, illucescit ijs ita, ut lucem suam ijs communicet. Comparatio cum Sole cepta ita continuatur, ut ad objectum illuminationis progrediatur; quod sunt *sedentes in tenebris & umbra mor-*

tis. Ubi *umbra mortis* sine dubio respondet Hebræo צלמות, quod pro densissima umbra seu tenebris usurpatur. Quemadmodum nimirum Sol hujus mundi, quando oritur super terram, illucescit & apparet ijs, qui prius tempore noctis in densis tenebris & in umbra, quasi mortui, sederant: sic Christus oriens ex alto apparuit hominibus luce suâ, qui sine luce ejus in densissimis spiritualibus tenebris & ipsâ mortis spiritualis umbra sedebant. *Quidam* apud *Jansenium* per umbram mortis peccatum intelligunt, quod sit quædam mortis similitudo: aliqui afflictiones, quòd illæ imaginem quandam mortis præferant, & ostendant: *alij*, tenebras limbi patrum. Nullum istorum ipsi placet; & meritò. Intelligit itaque tenebras ignorantiæ crassæ, in quâ detinebantur homines ante Christum. Cui ignorantiæ *Maldonatus* afflictiones addit: *Quid sit*, inquit, *in tenebris & umbra mortis sedere, ex contrario intelligi potest, non in magna solum ignorantia, sed etiam in miserabili afflictarum rerum statu versari, qualis peccati nimirum status est.* Cui eidem τὸ *sedere* est vel *habitare* vel *jacere*. Pleniùs & accuratiùs *D. Chemnitius*: *Complectitur Scriptura vocabulo tenebrarum, primò ignorantiam DEI* Joh. 12. *vers.* 35. *secundò, omnis generis peccata Rom.* 13. *v.* 12. *Eph.* 5. *v.* 8. *tertiò, pœnas peccatorum temporales Es.* 5. *vers.* 30. & 8. *vers.* 22. & *æternas, ut Matt.* 25. *v.* 30. Et mox de *umbra mortis*; *Caliginis, non delineationis significationem hoc loco umbra habet, & tenebrarum intensionem & horrorem complectitur.* Putatque ad eos, qui in tenebrosis carceribus sedent, respici. Non malè *Maldonatus* dixit, ex contrario rem intelligi: si modò benè opposuisset. Contrarium enim est lux DEI, quam Christus oriens ex alto attulit: cui oppositæ tenebræ sunt totalis ignorantia cordis per peccatum obtenebrati, quâ de DEO & salute, quæ in luce ejus est, nihil scitur, obvelatio faciei & gratiæ DEI, sub ira ejus, temporalium & æternarum pœnarum causa; immersio in erroribus, ut qui in medijs tenebris sedent aut jacent; expectatio finalis in tenebris interitus & consumtio, sine omni pacis spe. His in tenebris sedentibus, non paucis, sed sine exceptione omnibns apparuit: non soli populo Judaico, ut *Grotius* putavit.

§. 21. vers. eod. τοῦ κατευθῦναι &c. *dirigendi causâ pedes nostros in viam pacis.*] Dependet hîc Infinitivus κατευθῦναι, à præcedenti, ἐπιφᾶναι

ἐπιφᾶναι, & finem ſeu effectum intentum denotat q. d. ut illuceſcat &c. ita ut dirigat pedes noſtros; hoc modo, ut dirigat. Sedebamus in umbra mortis, ut ire in viâ pacis non poſſemus: illuxit Chriſtus, confirmavitque pedes noſtros ac direxit in viam pacis, vincti erant etiam in tenebris pedes noſtri, ut in bono ambulare nequirent: ſoluti à Chriſto è vinculis corruptionis tenebroſæ ire poſſunt. *Via pacis eſt*, in qua pax eſt conſcientiæ erga Deum, ad quem itur: quæ ducit ad Deum & plenam pacem, quæ æterna apud ipſum eſt: in quâ vivitur cum pace in caritate mutuâ. In hac pace κατευθύνει nos Chriſtus; ut non tantùm viam oſtendat, ſed pedibus det ὀρθότητα, rectitudinem internam & externam. Hactenus Canticum Zachariæ.

SOLI DEO GLORIA.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn325355568/41 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

coll. diss. A. 106, misc. 7

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn325355568/42
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG